B67-5498
24

GESANDTSCHAFT

KÖNIG FERDINANDS I.

AN

SULTAN SULEIMAN I.

1533.

II, 1.

URKUNDEN UND ACTENSTÜCKE

ZUR

GESCHICHTE DER VERHÄLTNISSE

ZWISCHEN

ÖSTERREICH, UNGERN UND DER PFORTE

IM

XVI. UND XVII. JAHRHUNDERTE.

AUS ARCHIVEN UND BIBLIOTHEKEN.

GESANDTSCHAFT KÖNIG FERDINANDS I. AN SULTAN SULEIMAN I.

1532—1533.

WIEN.

IN COMMISSION BEI SCHAUMBURG UND COMP.

GEDRUCKT BEI A. STRAUSS'S SEL. WITWE.

1838.

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
Brigham Young University

http://www.archive.org/details/urkundenundacten003gv

Vorwort.

Die hier mitgetheilten Actenstücke, sämmtlich belegende, berichtigende oder ergänzende Beiträge zur Geschichte der fünften Gesandtschaft König Ferdinands I. an Sultan Suleiman I., sind, Nr. XIII und XIV der Beilagen ausgenommen, noch nie durch den Druck bekannt gemacht worden, und dürften vielleicht nicht unwillkommen seyn.

Sollten sie freundlich aufgenommen und für die Wissenschaft benützt werden, so ist meine Mühe am schönsten belohnt und meine Absicht vollkommen erreicht.

Wien, den 3. December 1838.

Anton von Gévay,
Scriptor an der k. k. Hofbibliothek.

BERICHT

DES

HIERONYMUS VON ZARA

UND DES

CORNELIUS DUPLICIUS SCHEPPER

AN

KÖNIG FERDINAND I.

WIEN, 27. SEPTEMBER 1533.

Aus dem bis Seite **29**, *Zeile* **27** *des Abdruckes von Peter von Traù, Secretär des Hieronymus von Zara, geschriebenen, bis Seite* **30**, *Zeile* **3** *von Cornelius Schepper fortgesetzten, von da ab aber von einer dritten Hand zu Ende gebrachten, von Schepper corrigirten, und mit den Unterschriften und Siegeln der beiden Gesandten versehenen Originale im k. k. geheimen Haus- Hof- und Staats-Archive. — Von der Instruction König Ferdinands I. für Hieronymus von Zara war nur der in den Beilagen unter Nr. IV abgedruckte Auszug, von dem Berichte Vespasians von Zara aber gar nichts aufzufinden; und leider musste auch ein auf der k. k. Hofbibliothek (Handschrift* **9026**, *Bl.* **7—27**) *befindliches Bruchstück des von Schepper in Konstantinopel geführten Tagebuches ungedruckt bleiben, weil es durch die Unwissenheit des Abschreibers zu sehr entstellt ist; was um so mehr zu beklagen ist, als das Tagebuch, sich auch über das ausseramtliche Treiben der Gesandten verbreitend, den Bericht auf eine höchst anziehende Weise ergänzt.*

Enumeratio Eorum quę per Hieronymum de Zara transacta sunt Constantinopoli ab eo tempore quo ipsius filius inde recessit ad Maiestatem Regiam usque ad aduentum Cornelij Duplicij Scepperi:

Post recessum Vespasiani de Zara filij ipsius Hieronymi cum Zaus Cesaris Turcharum, quarta die Februarij profectus est idem Cęsar Turcharum cum Imbrahino Bassa Hadrianopolim venationis causa, mandauitque per quemdam ex Zaus suis, Hieronymo: ut scriberet ad omnia confinia ditionum tam Karoli Cęsaris quam Ferdinandi Regis ut inducias seruarent donec penitus esset conclusa pax. Proinde prefatus Hieronymus scripsit ad eximium Regimen in Vienna, ad Capitaneum Lubianę ad Capitaneum Laschanum in Strigonia ad Bachijanus Ferenz et a Pekrilaus in Posega et ad eos qui erant in Corone, et in particulare ad Andream de Auria prout ex copijs earum quas Regia Maiestas habet de undecima Februarij uidere poterit. Dubitansque Hieronymus ne hoc scribere esset ob id mandatum, ut preuaricare eum faceret ab ijs quę prius dixerat, scripsit reseruate. Et fuere literę ipsius dispositę ad manus Bassę dicendo quod per postas suos eas transmitterent quo opus esset.

Permanentibus prefato Cęsare Turcharum et Imbrahino Bassa adhuc in uenatione uenit eorum nomine ad Hieronymum: Zaus quidam, nuncians qualiter in Archipelago uisę erant certę naues Christianorum armatę. Et quod ob id scribere deberet per uiam Coronis, vt attentis inducijs non uellent molestare subditos eorum, Cui mandato non potens contradicere Hieronymus, scripsit ad Coronem et ad prefectos prefatarum nauium armatarum prout ex copijs de vicesima octaua Februarij Maiestas Regia uidere poterit, Literę autem istę semper mittebantur a Hieronymo clausę adiuncto illis Exemplari aperto ad adimendam omnem suspitionem, dabanturque Imbrahino Bassę. Quę literę ab eodem seruatę fuere, et nusquam mandatę ex quo uidebat Hieronymum firmum permanere in ijs quę prius scripserat. Et hęc omnia a Thur-

cis sunt facta, stimulatione et mala informatione quam incessanter habebant à Venetis.

Intermedio hoc tempore Aloisius Gritti scripsit ex Buda, qualiter Maiestas vestra et Serenissimus Rex Polonię ad eum et ad Vayuodam delegauerat Oratores ad tractandum de pace. Id quod magnam murmurationem et suspitionem iniecit Thurcis, quod talis pax tractaretur in duabus partibus. Ex quo Imbrahinus Bassa prius dixerat Hieronymo: nec Vayuodam nec Aloisium Griti quicquam authoritatis habere ad decidendum tale negocium pacis: ex quo Cęsar Thurcarum erat dominus, et ad ipsum attinebat. Scripsit Hieronymus ad Maiestatem Vestram secreto modo uidens tantas controuersias, et tot esse qui hanc pacem rumpere querebant prout ex copijs de quinta Martij Maiestas Regia uidere poterit.

Primo die Aprilis Imbrahinus Bassa post prandium misit pro Hieronymo: existenteque cum eo Baylo Venetorum permisit prefatum Hieronymum stare in Equo ante portam suam per spacium trium horarum. Abeunte Baylo intromissoque Hieronymo prefatus Bassa dedit binas literas a Capitaneis Coronis oppidi scriptas, responsiuas ad suas, apertas tamen, Excusando se tamen quod aperte essent quia non esset modus Thurcarum adaperire literas alienas quodque fortuito ipsas aperuisset credens ad se pertinere. Dixitque eos qui in Corone essent male se gerere, et nullas inducias obseruare, Et quod eruperant extra oppidum et depredati essent loca sequentia scilicet Castellum Calamatę, suburbia castelli de miseure similiter prope Zonchium uillam unam captis aliquot Thurcis, Et quod ipse Hieronymus deberet illis scribere. Adiungendo et hoc quod et Sanzachi ipsorum non semper essent prudentes. Et ita scripsit Hieronymus, prout ex copijs tertię diei Aprilis Maiestas Regia uidere poterit. Quas literas Imbrahinus aperuit, et non eas transmisit.

Sexto die Aprilis mane hora tertia mandauit Imbrahinus Bassa ad Hieronymum unum Zaus, ut ex parte Cęsaris Thurcarum et sua, ipsi diceret nonnulla, Et iterum alium Zaus qui confirmaret dicenda. Erant autem quę nunciabant hęc sequentia. Quod in despectum totius mundi uellet capere Coronem per vim, Et quod in opprobrium Christianorum uellet iubere destrui templum Hierusalem et ex eo facere unam Messchitam, similiter ruinare omnes ecclesias Christianorum quę sunt in dominijs suis. Expellere omnes Sacerdotes et fratres et mercatores christianos nec permittere ut amplius practicent in regionibus suis. Et quod idem Hieronymus hoc scribere deberet ad Cęsa-

rem Karolum, et ad Regiam Maiestatem et ad summum Pontificem et ad omnes alios principes Christianos ubi ipsi uideretur, protestando supra animas eorum qui sunt causa successus talis inconuenientis, volendo inferre quod ipse mandasset classi suę et exercitui terrestri, ut dimitterent in pace Coronem usque ad finem conclusionis ipsius pacis, Cuius tamen simile noluissent facere Coronenses, neque aliquas inducias aut pacem seruare. Propter hoc subito cogitauit Hieronymus et scripsit quędam prout apparere poterit ex copijs literarum de sexta Aprilis quas Maiestas Regia uidere poterit, et confestim ita apertas et subscriptas manu sua tradidit Hieronymus cuidam Zaus, vt eas ad dyuan hoc est ad consilium Thurcorum portaret, et quod ex parte sua diceret Imbrahimo Bassę Quod non posset satis considerare occasionem tantę furię, et quod si in literis suis non esset scriptum sufficienter ad ipsorum uoluntatem, id illi dicerent, Et si quid esset ibi superfluum, aut ipsis displicens, id ipsum etiam dicerent, nam se idipsum emendaturum. Habitis illis literis nunquam easdem ad ipsum Hieronymum remisere, sed seruauere. Quartoque die Imbrahinus Bassa misit ad prefatum Hieronymum, Interpretem Cęsaris Thurcarum nomine Ionusbeg ex parte prefati Cęsaris dicturum: Si uellet illis sanctis diebus ire in Peram siue Galatam oppidum, ad sancta officia quod ipsi essent contentissimi. Et si per Constantinopolim, uel alicubi per terram uellet ire quod ipse Imbrahinus Bassa ipsi daret equos et honestam societatem, Quod si per mare uellet proficisci, aut uidere castella in pontho Euxino, ut usque ad reditum Oratoris ipsorum et filij sui, minore tedio afficeretur, curaturos preparari, biremem unam aut triremem, et quęcunque essent necessaria. Habuit illis Hieronymus infinitas gratias, et negauit se usquam proficisci uelle. Querentibus autem illis causas, respondit: se non uenisse ut regionem ipsorum uideret, sed ad exequendum ea ad quę dominus suus ipsum destinasset.

Die xxix° Aprilis aduenit constantinopolim ex Hungaria Aloisius Griti.

Die iij° Maij Ludouicus Griti se presentauit Imbrahimo Bassę.

Die quinto Maij. Imbrahimus Bassa fecit Hieronymum intelligere quod se deberet coniungere cum prefato Gryti ad tractandum illud quod per filium suum Maiestati Regię mandauerat dici, et profectus est Hieronymus ad domum ipsius. Incepit idem Aloisius Griti dicere se esse Oratorem nomine regis Ioannis, et ex altera parte tanquam mediatorem nomine Imbrahimi bassę, et quod regnum Hungarię pertineret ad regem Ioannem allegando multas rationes in fauorem Vayuodę, dicendo quod Imbrahinus Bassa miserat pro eo

ut istas res ipse definiret, Et quod Cęsar Thurcarum dederat regnum Hungarię suo regi Ioanni, et idipsum confirmauerat magis quam decem uicibus: et quod illud quod ipse Hieronymus usque ad illam horam presentem tractauerat, dixit, opus esset illud retractare attento quod non erat facta aliqua firmitudo qualiscunque: nisi ore ad os, et quod res Hungarię essent faciles, Sed quod esset uidendum qualiter facienda esset pax cum Imperatore. Et quod ipse credebat quod Imperator non restitueret Coronem, et quod eam non restituendo Thurci nullo modo facerent pacem, et se credere pacem nullo modo factam iri.

Ad quod Hieronymus respondit primo circa rationem continentem quod Vayuoda esset factus legitime Rex, dixit quod erat iniuste et illegitime factus Rex, et quod in illa hora hoc ipsum illi non uellet demonstrare, sed cum suo tempore hoc ipsum esset demonstraturus.

Quantum attineret ad negociationem quam ipse Hieronymus fecisset cum Imbrahimo Bassa quod eam esset opus de nouo retractare, Et quod nulla alia firmitudo esset facta nisi quod locutum esset ore ad os, Respondit idem Hieronymus non esse opus retractare id quod erat tractatum, attento quod Cęsar Thurcarum donasset regnum Hungarię Maiestati Regię domino suo, et ipsum acceptasset in filium. Imbrahimum Bassam dixisse ore suo et promisisse se commandaturum ipsi Aloisio Griti ut tractaret cum Vayuoda in eum finem ut renunciaret regnum et coronam Maiestati Regię Rhomanorum etc. Et quod idem Imbrahimus Bassa bonam spem haberet, hoc ipsum esse facturum. Et quod si aliter fieri non posset, regnum ipsum diuideretur per promissionem quam Cęsar Thurcarum ipsi fecerat, ex quo ipse Vayuoda non posset longa uita frui, vtpote iam senex, et regnum illud esse illi solum promissum ad uitam.

Quantum attinet ad id quod dicitur, locutum esse ore ad os. Respondit idem Hieronymus Imperatores et Principes grandes magnitudinem suam non alio quam per uerba sua cognoscere et obseruare, propterea ex quo prescripta uerba ex ore Cęsaris Thurcarum et Imbrahimi Bassę processerant, se plus firmitudinis tenere in illis quam in centum priuilegijs quę super ijs habere posset, immo etiam, si angeli de celo ipsi fecissent desuper instrumentum, attento quod fama talis reuocandi uerba sua numquam percepta fuisset de Cęsare aut Imbrahimo Bassa.

Quantum attineret ad pacem cum Cęsare Karolo, scilicet restitutione Coronis mediante futuram pacem alias non. Respondit Hieronymus: sciatis quod

ego non obtuli coronem sed Bassa ipsam petiuit, Et dixit quod mediante restitutione ciuitatis, artillerię et personarum facerent pacem cum eodem Karolo Cęsare pro quinque aut septem annis et acceptarent ipsum in fratrem prout acceptassent regem Francorum. ad quod sciendum expectanda esset responsio et uoluntas Imperatoris. Ad id Ludouicus Griti respondit. Tu ista uice nimium sapuisti, si ego hic fuissem negocia non fuissent transacta hoc modo, Sed ego loquar cum Bassa, et erimus postea multis uicibus simul. Conformiter ad quod ipse Hieronymus persuasit ipsi multa cum satis bonis rationibus, uolendo ipsum attrahere ad deuotionem Maiestatis Regię. ad quod cepit se mollificare, dicendo: Ego plus satis dexteritatis inuenio in te quam de qua ab Hungaris et aliquibus Germanis fui informatus.

Sexto die Maij iterum simul conuenere, Quo die dixit Aloisius Griti Hieronymo: se locutum fuisse cum Imbrahimo Bassa, et quod pro eo tempore non posset aliud tractare, donec rediret filius Hieronymi cum Zauss cum resolutione Imperatoris et regis. Quia si ipsi aliam aliquam resolutionem adferrent, totum laborem insumptum vanum statum iri, Et hoc modo conclusum fuit de aduentu ipsorum expectando.

XXV° die Maij Imbrahimus Bassa misit pro Hieronymo, qui una cum filio suo qui aduenerat ad ipsum Bassam se contulit. A quo Bassa ipse Hieronymus interrogauit. Si Zauss ille qui a Maiestate Regia redierat retulisset quo modo fuisset tractatus? et si inuentum fuisset uerum esse id omne quod ipse Hieronymus dixisset et promisisset nomine Maiestatis Regię. Ad quod ipse Imbrahimus respondit quod sic. Et quod ualde bene intellexerat. Et supra illud: presentauit Hieronymus ipsi Bassę claues Strigonij, et dixit: Ecce claues illas quas Tu et Cęsar Thurcarum, petiuistis ad fidem et firmitudinem Regię Maiestatis domini mei declarandam. Ad quod prefatus Bassa subrisit et cum capite fecit signum ut Hieronymus eas saluaret. Postea obtulit illi Hieronymus munus illud quod Maiestas Regia ad ipsum transmiserat. Id quod ipse acceptauit cum maxima iucunditate, et respexit ipsum tribus uicibus, et postea apud se seruauit et egit gratias Maiestati Regię. dixitque idem Hieronymus ipsi Bassę quod Maiestas Regia id transmiteret in signum fraternitatis. Quia Maiestas Regia ipsum assumpsisset in fratrem seniorem: et quod Maiestas Regia desyderaret habere intrinsecam intelligentiam cum ipso Bassa. Ad quod ipse respondit se esse ualde contentum. postea iussit idem Hieronymus filio suo Vespasiano ut relationem faceret de itinere facto cum ipso Zauss. postea dixit idem Hieronymus se non habere authoritatem loquendi aut extendendi

se ulterius, sine socio et collega suo. Et quod quando ipsi Bassę uideretur pro ipso et collega suo mandaret se simul uentuoros et relaturos negocia sua. Supra id ipse petijt si haberent literas a Cęsare Karolo. Respondit illi Hieronymus quod sic. Ad quod, ostendit se ualde letum et ordinauit ut sequenti die ad audientiam uenirent, Et ab hoc die semper tractauit idem Hieronymus, adiuncto secum collega suo Cornelio. Qui ad plenum daturus est de omnibus informationem Maiestati Regię.

Enumeratio eorum quę Constantinopoli transacta sunt post aduentum Cornelij Duplicij Scepperi.

Vicesimo die mensis Maij prope uicum Czegmege occurrit Cornelio tendenti Constantinopolim, Zauss quidam missus ab Imbrahimo bassa nam eum uenire ex premisso precedenti die nuncio resciuerat. Quęsiuit hic Zauss iussu Imbrahimi tria. Primum an Cornelius adferret munera ad magnum Cęsarem. Secundo an ueniret nomine Caroli Cęsaris quem uocant regem Hispaniarum, an Ferdinandi regis. Tertio an literas haberet a Karolo Cęsare. Ad primum respondit Cornelius. Se non portare munera: sed bene transacturum desuper cum Imbrahimo bassa. Ad secundum. Quod nomine Ferdinandi uenisset et non Caroli. Ad tertium quod ita. Tunc Zauss iussit Cornelium cum alio Zauss subsistere in vico illo donec ulterius responsum haberet. Substitit itaque usque post meridiem. Tunc uenere illi obuiam missi ab Imbrahimo, cum quibus ingressus est Constantinopolim.

XXVII° die Maij Hieronymus de Zara et Cornelius simul profecti sunt ad Imbrahimum Bassam, ipsius iussu et mandato Quo cum uenissent, exorsus est Cornelius: salutauitque Bassam nomine Ferdinandi Regis ut fratris, qui ei omnia bona apprecaretur, Respondit sibi esse gratum quod recte ualeat. Postea eamdem salutem nomine Reginarum est impartitus. Id quod illi gratum fuit. Hoc facto ipse Imbrahimus bassa statim incepit bene longum sermonem. Imprimis dixit Nihil esse melius pace, allegans incommoda bellorum, captiuitates hominum, exustiones domorum, strages puerorum, multaque alia incommoda quę innocentibus et nihil tale merentibus obueniunt, recensuit longo sermone. Declinauit postea ad potentiam Cęsaris Thurcarum. Dicendo qualiter ipse posset terram cooperire gentibus, ipsum posse perpetuo gerere bellum, eo quod terrestris exercitus nihil ipsi constaret, esse enim ordinatum salarium ipsis, quo fruerentur tam pace quam bello. Ianitzaros olim non habuisse in singulos dies nisi medium asprum, postea adeptos esse asprum unum,

nunc autem habere alios quidem, duos aspros, alios tres, quattuor, quinque. Neminem autem Ianitzarorum habere supra octo aspros in dies singulos. In maritimum autem bellum uerum esse quod opus sit expensis: sed tam magnas esse opes ut minime sentiri possit. Se Imbrahimum: iussu magni Cęsaris, heri extraxisse mille somas asprorum quę faciunt vicesies centena milia ducatorum ut exercitum in Italiam transmitteret. Habere se ad quadraginta milia Tartarorum qui totum mundum possent destruere: Eos ipsos et adhuc trecenta milia hominum destinasse in Italiam transmittere, Qui postquam eo aduenerint nonne inquit omnia uastabunt? Quis enim ipsis poterit resistere? Ibi quę non miserię, quę non clades aduenient? Sed hactenus inquit per me parcitum est sanguini. Ego multa milia mulierum puerorum et aliorum liberaui, et secrete noctu fugere in syluas compuli ut manus Thurcarum euaderent. Hęc a se et a bonis Thurcis fieri, non enim esse Thurcas tam barbaros inhumanos aut crudeles, prout apud Christianos esse estimarentur: sed in ipsis esse etiam bonos, prout alibi. Se istud magnum Imperium regere. Quicqnid ipse fecerit id factum esse, omnem enim se potestatem habere. Omnia officia, omnia regna habere. Quod ego inquit do hoc est datum, et manet datum. Quod ego non do: id non est datum. Etiam si ipse magnus Cęsar uelit dare et dederit, si mihi non libet non habebit executionem. Omnia enim in manibus meis sunt: Bellum, pax, diuitię. Hęc inquit non sine causa dico. Scio enim quicunque primum ad ignotum uenit ipsum pudore et rubore suffundi, eo quod non sciat adhuc consuetudinem: aut omnino timere Alias enim id fieri non posse. Se ita erga locutum esse, ut ipse Cornelius interim animum firmaret. Respondit Cornelius uęrissime et prudentissime ipsum dicere omnia. se enim Cornelium timore et pudore pariter suffundi ideoque necessarium fuisse ut ipse eum prius confirmaret. Subiunxit. Et iste inquit ostenso Hieronymo cum esset apud magnum Cęsarem etiam timuit. (Acciderat autem hoc ita simulante Hieronymo eo quod Thurcę hoc pro gratissimo habent uideri cum timore loqui, et de hoc fuerat Cornelius à Hieronymo informatus). Nunc ergo inquit Imbrahimus ad Cornelium, potes libere dicere.

Exorsus est ergo Cornelius prout inter Hieronymum et eum conuenerat Qualiter Ferdinandus Rex salutaret Cęsarem Thurcarum uelut filius patrem, Imbrahimum autem uelut frater, fratrem, futuram enim suam Maiestatem Regiam, alteri pro filio, alteri pro fratre: adiungens affectus verba debita sine tamen ulla detractione honoris, aut diminutione Maiestatis Regię.

Respondit Imbrahimus Bassa. Magnum esse dominum, magnum Cęsa-

rem posse multa. neminem unquam ipsius amicitiam petiuisse, cui eam non dederit, prudenter facere Ferdinandum, alias duplicata iri ea damna quę prius obtigissent Quę, qualia, et quanta essent ipsum Ferdinandum Regem et nos bene scire. et quesiuit à Cornelio. Qualiter inquit in Germania nunc uenduntur frumenta? Respondit Cornelius. Mediocri precio nisi in confinibus. Respondit Imbrahimus Bassa. In terris domini mei nihil deest, sed per eas succurritur finitimis prouincijs Christianitatis, quę iam fame interijssent, nisi interuenisset misericordia sua. Nunc autem constituisse occludere omnes portus, et prohibere omnia commercia ex quo uideret Christianos et alios non desistere à molestandis prouincijs suis, Quo facto quid illis amplius spei futurum sit? nisi fame pereundum penitus?

Hęc cum diceret. Hieronymus et Cornelius ea omnia quę dicebat confirmauerunt, non contradicentes Quia ita apud illam gentem moris est et maxime notant verba oratorum. Et ipsum Imbrahimum bonis verbis laudauerunt.

Iubente postea Imbrahimo bassa ut sermonem suum Cornelius continuaret; subiunxit Cornelius. Serenissimum Regem Ferdinandum, intellecta propositione quę fiebat de pace, et auditis illis quę Hieronymus Maiestatis ipsius orator illic presens, nunciasset per filium suum ipsam pacem concernentia ab ipso Cęsare Thurcarum et ab Imbrahimo sibi dicta, et ijs etiam quę ipsorum Cęsaris et Imbrahimi orator siue Zauss, Maiestati Regię dixisset, ipsam inquam suam Maiestatem Regiam acceptasse omnia quę obtulisset illi Cęsar Thurcarum et ipse Imbrahimus modo et qualitate ut supra, prout et ex prefato Magnifico Hieronymo Collega, et patre adoptato, et ex relatione ipsius Zauss potuerit copiosius ipse Imbrahimus intellexisse, quorum alter scilicet Hieronymus die preterito apud ipsum Bassam fuisset alter autem sex illis diebus preteritis quibus aduenissent.

Subiunxit Cornelius. Ferdinandum Regem quęcunque transacta essent cum potentissimo Cęsare prout Hieronymus presens ad Maiestatem suam Regiam scripserat, ea se scire per medium Imbrahimi Bassę transacta esse, Quare desuper illi habere gratiam. Iam missurum fuisse munera digna patre suo magno Cęsare, et fratre suo Imbrahimo Bassa, Sed breuitate temporis obstante id nunc non factum esse, sed in futurum factum iri, uice muneris acceptaret animum bonum et affectum filialem et fraternalem.

Iussisse nobis Ferdinandum Regem ut in omnibus rebus sequeremur consilium ipsius Imbrahimi Bassę fratris sui. Habere enim Maiestatem Regiam,

singularem et plusquam fraternam confidentiam in ipsius Dominatione Illustrissima, prout etiam ex alijs potuerit intellexisse. Dedit autem ipsi tunc Cornelius literas credentię eas quę essent ad magnum Cęsarem, et ad eum, Nam eas ipse Imbrahimus petebat, dedit illi mandatum ut legi illud faceret. Et iussus postea dicere et continuare sermonem adiunxit Cornelius.

Ferdinandum Regem intellectis ijs quę Hieronymus de Zara, ipsius Maiestati Regię nunciasset nobis iniunxisse, ut instaremus apud Imbrahimum bassam fratrem suum ut ipsi esset in adiutorium, ad habendum totum regnum Hungarię attento iure hereditario Maiestatis Regię quod in regnum illud haberet, et promissione immo donatione magni Cęsaris quam factam fuisse Maiestati Regię Hieronymus ibi presens scripsisset, cuius donationis gratiam nulli ferret relatam ipse Serenissimus Ferdinandus Rex, quam Imbrahimo bassę fratri suo.

His auditis quęsiuit Imbrahimus bassa à Cornelio nihil ad priora respondens. an haberet literas a Karolo Cęsare, et quod eas sibi traderet.

Respondit Cornelius literas quidem se habere a Karolo Cęsare in commendationem Regię Maiestatis fratris sui pro regno Hungarię toto obtinendo; eas literas se illic habere: et daturum si modo prodesse possint. Et cum uideret Imbrahimum eas habere uelle, eas dedit illi in manus.

Quibus literis Cęsaris Karoli uisis et acceptis, surrexit Imbrahimus in pedes, et dixit. Iste est magnus dominus et debemus ipsum ideo honorare. Et sumpsit literas, et osculatus est eas, et admouit fronti suę, more Thurcarum: et cum magna reuerentia ipsas posuit seorsum, adeo ut oratores Regij Hieronymus et Cornelius ualde mirarentur, ipsum tantum honoris exhibere Carolo Cęsari. Et quamdiu hic sermo de Karolo Cęsare durauit tamdiu stetit erectus.

Postea subiunxit Cornelius. Ferdinandum Regem intellexisse ex nuncio Hieronymi oratoris ipsius Maiestatis, locum relictum esse Karolo Cęsari si modo uellet in talem pacem intrare, et ipsum Karolum Cęsarem susceptum esse in fratrem a Cęsare Thurcarum, paratumque esse ipsum Cęsarem Thurcarum cum ipse Karolo Cęsare pacem facere quinque aut septem annis, Restitutionem autem oppidi Coronis plurimum profecturam ad consecutionem desyderiorum Regię Maiestatis, Ideo Regiam Maiestatem plęnius informatam a filio prefati oratoris sui Hieronymi, misisse oratorem suum ad Karolum Cęsarem et ipsi ut fratri suo singula quę nomine Hieronymi, ab ipsius filio Vespasiano, sibi dicta essent scripsisse, et in ijs omnibus uoluntatem ipsius

Karoli Cęsaris fratris sui, quantum attinet ad id an uellet in foedere isto et pace unus esse, modo quo supra aut non, petiuisse intelligere.

Ad quam legationem à Ferdinando rege factam ad Karolum Cęsarem, ipse Cęsar Karolus responderit sequentia, ad quę significanda ipsi magno cęsari et Imbrahimo bassę, misisset prefatus Serenissimus Rex Ferdinandus suo nomine Cornelium, cum instructione equalitter pertinente ad Hieronymum alterum oratorem suum. Quibus duobus Hieronymo et Cornelio mandauit Ferdinandus Rex ut suę Maiestatis Regię nomine sequentia exponerent.

Imprimis quod Carolus Cęsar rescripsisset ad fratrem suum Ferdinandum Regem se intellexisse ea quę alter ipsorum oratorum scilicet Hieronymus de Zara ipsi Ferdinando Regi dici et nunciari fecisset per filium suum Vespasianum. Placere sibi et gratum esse intelligere, magnum Cęsarem pacem fecisse cum Ferdinando fratre suo, preterea oratorem fratris sui Hieronymum ita bene tractasse, vlterius contentum esse Cęsarem Thurcarum: se Karolum Cęsarem acceptare pro fratre et cum eo pacem facere pro termino ut supra.

Tamen ut omnia melius intelligerentur, Karolum Cęsarem scripsisse, se contentum esse in pace comprehendi quę cum fratre suo facta esset, cum conditionibus sequentibus.

Imprimis tamen bene uolebat significare ipsi magno Cęsari se Karolum Cęsarem, nunquam dedisse causam Cęsari Thurcarum contra ipsum bella mouendi, Quo tamen non obstante ipse Thurca sibi bellum intulisset primus. Quod nihilominus non tam ipsi Thurcarum Cęsari quam persuasionibus quorumdam, vtrique Cęsari male uolentium, imputaret et asscriberet, non obstante tamen hoc contentum esse Karolum Cęsarem in hac pace quę cum fratre suo facta esset comprehendi Quia non esset opus nouam fieri sed sufficeret quę cum fratre suo facta esset.

Et ad illam melius faciendam, Quia scripsisset Hieronymus de Zara orator Ferdinandi fratris sui, multum importare ad recuperationem totius regni Hungarię, restitutionem oppidi Coronis, Et quia pro ea restitutione facienda multum laborasset Ferdinandus Rex apud fratrem suum, Tametsi omnes Christiani Principes et potentatus consyderata qualitate et importantia prefati oppidi, preseruationem illius oppidi faciendam existiment suadeant et consulant, ipsumque oppidum muniendum, fortificandum et omni modo retinendum dicant, Quodque ipse Karolus ut caput Christianitatis non possit contra aliorum omnium uoluntatem, ea liberalitate vti qua alias uteretur, nisi inter-

media aliqua recompensa, qua ostendere possit Christianis, Thurcam illis uelle bonum et quietum uicinum esse,

Non obstante tamen ratione ut supra propter bonum pacis, et attenta liberalitate qua intellexisset Cęsar Karolus ipsum Thurcarum Cęsarem usum esse in donando toto Hungarię regno, Ferdinando regi contentum esse dare Thurcarum Cęsari Coronem ijs conditionibus.

Vt Cęsar Thurcarum det Ferdinando regi totam Hungariam, attento ipsius iure hereditario, et inimici ipsius indispositione, preterea donatione facta ipsi Hieronymo de Zara per ipsum magnum Cęsarem Thurcarum.

Secundo ut Cęsar Thurcarum iuberet Barbarossę restituere Hispanis insulam Argel, aut promitteret ipsi Barbarossę non assistere contra subditos suę Cęsareę Maiestatis.

Vt assecuret eos qui sunt in Corone de uitę et bonorum ipsorum saluatione. Hoc enim modo ostensurum esse se bonum uicinum cum Christianis esse uelle.

Neque se immisceat differentijs quę sunt inter Christianos de fide, neque impediat ipsorum reductionem ad ueram fidem.

Et ut in hac pace omnes comprehendantur principes et potentatus Christiani Papa, Francus, Veneti, et alij.

Et ne in Corone oppido esset difficultas, habere Hieronymum et Cornelium unas literas Cęsaris ad Coronenses quibus iubentur abstinere a bello si modo id, ipsis, prefati oratores Regij iusserint. Quas literas si opus esset ad prefati oppidi Capitaneos essent missuri.

Hęc respondisse Karolum Cęsarem ad nuncium et oratorem Ferdinandi regis ad se missum.

Super quo promittit et pollicetur Ferdinandus Rex, Si Cęsar Thurcarum uelit Carolum Cęsarem in ista pace facta concludi et comprehendi, se omnino curaturum et effecturum ut pax ista ratificetur a predicto fratre suo Karolo Cęsare.

Hęc iussisse Ferdinandum regem, oratoribus suis Hieronymo et Cornelio ut dicerent Cęsari Thurcarum et Imbrahimo bassę.

Superesse ut Capitulationem de conditionibus pacis, et renunciatione regni a Ioanne Vayuoda in manus Ferdinandi regis, filij magni Cęsaris et fratris sui, Imbrahimus bassa fieri iuberet aut faceret. Habere enim oratores Hieronymum et Cornelium plenariam potestatem agendi et concludendi nomine regio in similibus.

Et quod ad transacta et alia omnia attinet Ferdinandum regem se referre ad responsum per Maiestatem suam regiam datum, illi nuncio siue oratori ipsius Cęsaris Thurcarum et Imbrahimi, qui ad se missus esset et inde remissus.

Hęc omnia cum recensuisset Cornelius. Respondit Imbrahimus Bassa. Pacem semper optandam esse, et cuiusuis principis esse in eam incumbere. Si Cęsar Karolus pacem uellet, Cęsarem Thurcarum dominum suum, petentibus pacem, eandem nunquam denegasse, Sese Imbrahimum uisurum literas. Inspectoque sigillo Cęsaris Karoli, quod in calce literarum erat, dixit. Et dominus inquit meus habet sigillum quod ipse portat, et ego simile sigillum quale ipse: porto. Non enim uult aliquam differentiam inter se et me esse. Quicquid pro se fieri iubet uestium, idem illud pro me fieri iubet. non uult me quicquam exponere in edificando. nam ipse pro me edificat. Et hęc inquit est Camera eius.

Quod autem ad Coronem oppidum attinet Inquit Imbrahimus Bassa. Est castellum cuius multa millia similia habemus. Nihil illud curamus et malumus ipsum vi quam alio modo habere, Quia quando volumus, possumus ipsum in cineres conuertere. Hoc castellum fecit nos cautiores, quia non amplius exibimus ex hac prouincia, priusquam firmauerimus limites bono pręsidio.

Quod ad regnum Hungarię attinet dixit Imbrahimus Bassa, dominum suum dedisse id Ioanni regi, neque ab eo dimouere posse, Tamen de ijs inquit et similibus uidebimus et consyderabimus omnia.

Se bene scire ubi esset insula Argel, esse enim prope Hispanias. Et Heyradinum siue Barbarossam esse ibi Sanzachum.

De terris et dote Reginę Marię se habituros mentionem. Si inquit unam horam adhuc expectasset deuenisset in manus meas. Quod si hoc accidisset à domino meo tractata fuisset omni cum honore, atque habita pro sorore, Quia dominus meus ualde compatitur mulieribus. Imo si ipse Rex Ludouicus tametsi hostis in manus nostras peruenisset, omni eum honore tractassemus. Id enim uęre principum est uictis ignoscere, prius autem dum feruet bellum unumquemque ea agere quę potest. Optime facere Hieronymum et Cornelium quod dulciter cum eo tractarent; multum interesse inter uocem molliter prolatam et duriter, Et uerbi gratia, unam uocem Thurcicam pronunciauit duriter, et eamdem mollius, dicens, Linguam esse paruam partem corporis humani, plurimum tamen importare. Laudauit et Hieronymum ibi presentem quod bene se gesserit et cum bonis uerbis. His artibus uinci animos, iratos et

furibundos. Se omnia ea uisurum quę attulissent prefati Hieronymus et Cornelius, et desuper deliberaturum. Interea Oratores Regios debere se conferre ad Aloisium Gritti et cum eo tractare super regno Hungarię, Ipsum enim Aloisium habere commissionem et scire qualiter se res habeant in eo regno.

Quum hoc diceret Imbrahimus bassa, nihil responderunt Hieronymus et Cornelius sed se mutuo intuentes, quia dixerat quod ad Gritti se deberent conferre, taciti sedebant. Quod notans Imbrahimus, eadem uerba quę prius iterum dixit, et subiunxit. Non dubitate quia ego sum qui faciam quod uolo, et non quod ipse Aloisius Griti uolet, Sed ipse Aloisius faciet id quod ego iussero, Tantum loquamini illi.

His uerbis auditis recepere Oratores prefati se ad Aloisium Gryti postridie ituros, et Imbrahimo bassę valedixerunt.

Durauit hoc colloquium cum Imbrahimo ad sex horas. Inter loquendum bis iussit adferre sibi aquam dulcem, et bibit, similiter et oratores bis bibere. Ille quidem ex poculo facto ex lapide Turquino, magno: Oratores ex poculis argenteis. Ostenso autem uase Turquino dixit Imbrahimus. De ijs lapidibus Turquinis dominus meus habet quolibet anno duas somas id est tantum quantum duo equi portare possunt, Ipsi autem bibenti acclamatum est ab omnibus: et stetere oratores in pedibus.

XXVIII° die Maij fuere Hieronymus et Cornelius apud Aloisium Gryti in domo sua, premissisque salutationibus, dixerunt se fuisse apud Imbrahimum bassam à quo iussi essent ad eum uenire ut ad peritum rerum Hungaricarum, gratissimum esse sibi oratoribus quod cum uiro intelligente et tantę authoritatis haberent negocium, plurimaque alia ad laudem ipsius pertinentia honesta tamen.

Exposuerunt illi omnia prout Imbrahimo, scilicet de toto regno Hungarię habendo, de Corone restituenda cum conditionibus ut supra, de comprehensione principum omnium.

Primum respondit Aloisius Gryti. se partim aduersarium esse partim arbitrum. Aduersarium, quia ibi uenisset nomine Ioannis regis. Arbitrum, quia ordinatus ob id à magno Cęsare et a Bassa. Omnino oratores Hieronymum et Cornelium credere debere, viuente Vayuoda siue rege Ioanne totum regnum obtineri non posse, eo quod magnus Cęsar ipsi Ioanni illud promisisset.

Quantum ad Coronis restitutionem, ipsis Thurcis magis placere omni alio modo ipsam Coronem acquirere, quam restitutione aut pacto. Hinc prope eam iam esse sexaginta triremes, et Constantinopoli esse uiginti alias tam ba-

stardas quam grossas eo profecturas. Alias decem parari Callipoli. Preter decem triremes missas contra el belhuomo siracusanum quemdam militem, qui vnum Galeonum habet cum quo diu exercuit Pyraticam, et multa mala Thurcis fecit et adhuc facit. Eas triremes esse missas ad Cortegolum qui est in Rhodo ex parte Thurcarum, esse preterea treginta sex fustas et galiottas, prętер innumerabiles alias fustas et naues: cum intentione irrumpendi in Apuliam, vbi primum Cęsar Karolus contra Barbarossam tenderet prout fama erat ipsum iturum.

Quod ad restitutionem insulę Argel pertinet, Cęsarem Thurcarum neque posse si uellet, neque uelle si posset eam restituere. Ideo pacem fieri non posse si non esset aliud medium quam restitutio insulę Argel.

Responderunt Oratores. Quid si Cęsar Thurcarum prohiberet excursiones barbarossę ab hispania et alijs partibus Cęsareis.

Respondit Gryti. Ita illum facere posse. Sed Barbarossam sine adiutorio Thurcarum occupasse Argel, et sic tanquam suam tenere, tametsi sit seruitor magni Cęsaris Thurcarum. De ijs omnibus se locuturum cum Imbrahimo Bassa et cum ipso Cęsare Thurcarum. et postea se de singulis responsurum.

Quod ad comprehendos omnes principes et Potentatus Christianos in hoc foedere attinet Mirari se dixit quomodo Cęsar uellet omnes Principes comprehendi in ea pace, ex quo ipsorum voluntatem non potuisset scire post responsum scriptum a Hieronymo, eo quod nemo Principum apud eum fuisset interim, Inferens negocium ab oratoribus non uere aut recte agi, sed queri modum postergandi, soluendi, et differendi obsidionem Coronis.

Ad quod respondit Cornelius, Decimo tertio Martij uenisse Vespasianum de Zara ad Regem, postridie discessisse comitem Nicolaum de Salm. Venisse illum decimo nono die Alexandriam. Literas Cęsaris esse de vicesima sexta Martij. Nescire se consilium Cęsaris Karoli. Forte hoc ideo accidisse quia cum sciret Karolus Cęsar Hieronymum missum esse ad Thurcas: tractasse cum Papa et cum alijs Principibus in omnem euentum super hoc. Hinc, ea ipsa scripsisse ad fratrem suum Ferdinandum.

Adiunxere ijdem Oratores et aliam rationem. Forte Karolum Cęsarem hęc pro officio suo facere qui pacem cuperet inter Christianos omnes. Hoc enim esse Imperatoris uere Christiani.

Respondit Gryti. Id fieri posse.

Adiunxit Cornelius. Quantum ad Coronem attinet, nullum modum queri postergandi, soluendi et differendi obsidionem Coronis; neque moram etiam

aliquam. Nam si Thurcarum Cęsar prius posset acquirere Coronem antequam pax cum Karolo Cęsare confirmaretur, tunc non futurum laborem de restitutione ipsius. Idque subridendo dixit Cornelius. Sin uero Corone potiri non posset, tunc tractari posse si uellet. Oratores Regios Hieronymum scilicet et se Cornelium literas habere quibus precipere Capitaneis qui in Corone sunt, possunt, ut a bello abstineant, si modo ipsi Thurcę abstineant, Si uelint eos eas literas mittere et negocium tractare, bene, sin minus, ipsos oratores ipsas literas apud se retenturos esse; Hoc modo responsum est ad obiectum Gryti, quantum attinet ad moram quam Christianos quęrere dicebat.

Et sic ab eo discessum est bono modo.

XXX[a] Maij. Misit Aloisius Gryti ad oratores Regios ut ad se uenirent. Paruere monitis et circa tres horas ante occasum solis eo peruenientes, ex ipso intellexere sequentia.

Imprimis sibi iussum esse à Cęsare Thurcarum et ab Imbrahimo bassa, ut oratoribus ipsis Hieronymo Cornelioque responderet.

Pacem hic cum Cęsare Karolo fieri non posse. Neque Thurcas uelle nisi aut ipse miserit oratores suos ad fœlicem illam portam; Aut ad ipsos oratores, mandatum proprium, suo nomine. Aut alio mandato polliceatur et promittat syngrapha et sigillo suo, se quicquid frater suus Ferdinandus Rex pro eo promiserit, id se ratum habere sine ulteriore ad eum recursu. Alias non uelle ipsos Thurcas. Quia timent decipi, et uident quod oratores Christiani nihil aliud querunt nisi tempus redimere donec aduenerit hiems.

Vt ista commodius fiant dari à Cęsare Thurcarum, Karolo Cęsari trium mensium inducias. Mandatum iri ipsi Barbarossę ut omnino abstineat a molestatione omnium Christianorum donec ulterius mandatum à Cęsare Thurcarum habeat. Eas literas se daturum in manus oratorum. Quos oratores uicissim scribere oporteret ad eos qui sunt in Corone ut abstineant à bello per prefatos menses tres, cum conditione ne interim ulla noua subsidia ad ipsos mitterentur.

Barbarossam si conclusa pace aliquid aduersus eam attentauerit, non modo adiutum non iri à Cęsare Thurcarum, sed omnibus viribus ab eo destruendum.

Coronenses conclusa pace, Qui Hispani sunt missos iri ad loca tuta: Qui greci sunt: quomodo tractandi sint non satis scire, tamen se dicturum Imbrahimo qualiter Andreas de Auria promiserit ipsis succurrere; aut si pax fieret contentos eos iri in hac pace, et propterea esse necessarium ipsos Gre-

cos et transfugas assecurare. Et hoc modo inquit Aloisius, spero me impetrare posse saluationem prefatorum Grecorum qui sunt in Corone.

Hunc punctum de recipiendis Grecis transfugis in gratiam si pax fieret aperte dixit Cornelius Aloysio, Karolum Cęsarem habere uelle, et sine illo non esse honestum ipsi pacem facere propter multas rationes quarum precipuam, ipse Gryti bene posset intelligere. Et ea erat ne uideretur Karolus incolas Grecos contemnere.

Quod autem attinet ad id quod petterent Oratores, in ea pace omnes comprehendi Principes Christianos et Potentatus, Respondit Gryti. Cęsarem Thurcarum non dare pacem, non petentibus sed contentum esse ut ij qui suis literis testaturi sint uelle in hac pace esse, in ipsa comprehendantur et non aliter. Vicissim Cęsarem Thurcarum quosdam ex sibi gratis comprehensurum quorum literas aut nuncios produceret qui id peterent, quia uelle ęqualiter cum ipsis oratoribus agere. Id se ideo dicere quia hodie fuisset apud eum Orator et Vicebaylus Venetorum Petrus Zeno, Cui cum dixisset Karolum Cęsarem uelle in hac pace omnes Christianos comprehendi, et inter alios, ipsos Venetos, Respondisse ipsum Petrum Zen Oratorem et Vicebaylum ut supra; Rempublicam suam Venetam non uelle neque cupere in hac pace comprehendi, quia bonam et firmam pacem haberet cum Cęsare Thurcarum. Ad quod ipse Aloisius dixerit se respondisse. Karolum Cęsarem agere pro officio Cęsareo quod est pacem pro omnibus procurare.

Quum autem instarent oratores ut exprimeret eis, illos quos Cęsar Thurcarum de sua parte uellet comprehendi, interrogauit eos dicens. Bene, Si Carolus Cęsar omnes comprehendere et pro omnibus promittere vult, nos sumus contenti, modo ipse intelligat quod si quisquam ex nominandis et comprehendendis per ipsum in ista pace ruperit eam, tunc pacem etiam cum Carolo Cęsare ruptam esse.

Preterea Polonum Regem fecisse cum ipso Thurcarum Cęsare pacem Et sic non esse opus eum comprehendi.

Similiter et Regem Francię habere pacem, et esse fratrem Cęsaris Thurcarum. Obtulit ergo si alter Oratorum uellet proficisci ad regem aut ad Cęsarem pro huius rei determinatione; se expositurum illum aut in Viennam aut in Hidrunten aut Venetias.

Super quo determinauere Oratores ut alter ipsorum scilicet Cornelius profisceretur ad Regem Ferdinandum et postea ipso iubente ad Carolum Cęsarem. Recepitque idem Cornelius se iturum et rediturum cum auxilio Dei

in tribus mensibus, et de omnibus portaturum bonam responsionem. Id autem ipsum Cornelium suscipere quia esset iunior et patiens laborum magis quam senex aliquis.

Respondit Gryti. Verum id esse: et se bene scire, qualitercumque missus esset Cornelius nomine Ferdinandi Regis, esse id factum nomine Cęsaris Karoli, et ipsum a Carolo Cęsare sub specie et pretextu Regis missum esse.

Ad quod responderunt Oratores. posse vnumquemque credere quod liberet, ipsos facere quod est illis iniunctum.

Postea ad res hungaricas conuersus Aloisius Gryti, dixit se de his locuturum in futurum latius, quia multa essent medianda. Cęsarem Thurcarum omnino uelle promissionem suam factam Regi Ioanni quamdiu uiueret seruare. Sed casu quo sibi fidere uellemus, post mortem Vayuodę, promittere se uelle, totum regnum Hungarię Ferdinando Regi.

Famam esse se aloysium, pro se regnum illud petere, Id minime uerum esse dixit. Et moriar inquit ut canis si unquam ego talem uoluntatem habuerim aut adhuc habeam. Multa mala de Hungaris locutus est, dicens pessimam gentem, infidissimam, intractabilem.

In principio conuentus Posoniensis, agi ceptum ut Rex Ioannes loqueretur cum Ferdinando Rege. Id se omnino dissuasisse ad tollendam suspitionem ab ipsis Thurcis. Sed bene fuisse consultum quod ipse Aloisius cum Ferdinando Rege conuenisset. Et ad id, multa de sua authoritate locutus est. Interque alia dixit se esse bonum Christianum, et uelle mori uti bonum decet Christianum. Qualis nisi ipse fuisset, prout deus est in coelo, ita totum regnum Hungarię nunc futurum fuisse in potestate Thurcarum, et in illo habituros, suos Sanzachos sicut in Bosna, Czertzogouina et alijs partibus, vnde ex ipsorum manibus nunquam extrahi potuisset, neque fuisset Ferdinandi aut Ioannis sed Thurcarum. Magnam esse gratiam dei, quę sibi dedisset istam authoritatem inter hanc nationem Thurcarum, Et tantam quantam nemo Christianus unquam habuit apud hanc gentem. Suo medio preseruatum esse regnum Hungarię. Postea subiunxit Imbrahimum bassam male contentum esse de Venetis. Ad quod Hieronymus respondit, semiyronice. ipsum Aloisium facile mutaturum esse animum Bassę, eo quod faueret Venetis.

Respondit Aloisius et ipse semiyronice, Verum esse, se illis fauere quia impossibile esset sanguinem conuerti in aquam.

Subiunxit Hieronymus, uelle Regiam Maiestatem cum ipso Aloisio facere secretam intelligentiam.

Quo audito uisus est Oratoribus ualde letari, et respondit. Quando Rex confisurus est mihi, eum non deceptum fore.

Et hoc modo Oratores prefatos Hieronymum Corneliumque honeste à se dimisit domum.

Secundo die mensis Iunij qui erat dies Lunę post penthecostem misit ad Oratores Regios, Imbrahimus Bassa, unum Zauss, qui iuberet ut statim ad ipsum Imbrahimum uenirent, Quod et fecere ualde subito.

Eo cum uenirent intellexerunt Imbrahimum Bassam esse reclusum cum Aloisio Gryti, Quapropter sedentes prope aulam super scamnum, expectauere ut uocarentur a Bassa, prout tandem uocati fuere. Exhibitis ergo honoribus ipsi Imbrahimo Bassę, consedere oratores Hieronymus et Cornelius ex opposito Imbrahimi. Ipse Aloisius inter Imbrahimum et Hieronymum. Cornelius iuxta Hieronymum. Inter Aloisium et Hieronymum stabat in pedibus Ionusbeg Interpres portę. Inter Bassam et Cornelium stabat in pedibus Mustapha Celeby quem Imbrahimus Bassa ostendens Cornelio, dixit esse Secretarium intimum magni Cęsaris, et ad eum referri literas omnes et negocia quę tractarentur, proinde Cornelius ut recentior ueniens ipsum salutauit.

Tunc incepit Imbrahimus Bassa et quęsiuit ab oratoribus qualiter valerent.

Responderunt, Bene.

Conuersus ad Hieronymum, Tu inquit bene uidisti Constantinopolim sed ad Cornelium conuersus, Tu inquit non satis bene eam uidisti.

Respondit Cornelius Id uerum esse, sed forte melius, se ipsam aliquando visurum.

Quesiuit a Hieronymo an fuisset in Hispanijs. Respondit Hieronymus se circa littoralia et maritima fuisse, sed non in mediterraneis, sed ibi fuisse Cornelium.

Conuersus ad Cornelium Bassa. Vbi inquit residet communiter Karolus Imperator? Respondit Cornelius diuerssis illum in locis solitum residere, vtpote: Hispali, Granatę, Toleti, Cęsaraugustę, Barcinonę, Vallisoleti, Burgis et alibi.

Quesiuit an aliqua dictarum urbium esset maior Parhysijs aut pulchrior, Respondit Cornelius quod non.

Quęsiuit. Quę regio esset melior Hispania an Francia. Respondit Cornelius sibi ut nato in confinibus Francię, pulchriorem videri Franciam, Hispaniam longe maiorem et robustiorem.

Respondit Bassa. se audiuisse in Francia esse ad quadraginta flumina nauigabilia, in Hispanijs admodum pauca. Et quęsiuit. Quare Hispania non ita esset culta ut Francia.

Respondit Cornelius, propter expulsionem Saracenorum et Maurorum quam fecit Rex Ferdinandus Catholicus, qui mauri et saraceni erant boni Agricolę et diligentes, propter expullsionem etiam Iudeorum ex ipsa, propter magnitudinem animi Hispanorum qui bello magis quam aratro nati sunt. Denique quia in aliquot locis esset penuria aquarum. Regionem tamen ipsam in uniuersum esse optimam et feracissimam.

Respondit Imbrahimus Bassa, hanc magnitudinem animi Hispanorum prouenire ex caliditate cerebri, Innuens eos qui habitant in Grecia et similibus regionibus, esse audaces et magnanimos.

Postea incepit narrare exemplum de leone, dicens esse leonem ferocissimum animalium, domari, non uiribus sed ingenio, Primum porrectis sibi à magistro escis gratis, deinde consuetudine; Magistrum hunc baculum tenere et ut terreat, et ut si opus sit eo se tueatur. Extraneum neminem huic leoni ausurum porrigere escam, Sed eum tantum cui consueuit. Principem esse leonem. Consiliarios, magistros et domitores. Baculum esse uęritatem et iustitiam qua sola possint domari Principes. Magnum Cęsarem Thurcarum esse leonem. Carolum Cęsarem, etiam esse leonem. Se Imbrahimum Bassam, domare dominum suum magnum Cęsarem Thurcarum eo baculo vęritatis et iustitię, Equum esse oratores Regios idem facere in Karolo Cęsare.

Magnum Cęsarem Thurcarum dominum suum sibi Imbrahimo Sclauo suo omnia concredidisse, regna et imperia sua. Se solum esse qui omnia faciat. Esse imprimis Sanzachos, esse super eos Beglerbey, et super hos esse bassas qui non possent cum ipso magno Cęsare nisi quattuor esse. Se esse supra omnes Bassas. Quicquid ego inquit facio, factum est. possum ex stabulario inquit facere Bassam confestim. possum dare regna et prouincias, illis quibus ego uolo, et dominus meus nihil mihi dicet Etiam si ipse quid iusserit, et ego nolo id fieri, non fiet. Et si ego aliquid iubeo fieri, et ipse iusserit contrarium, fiet tamen id quod ego uolo et non quod ipse. Bellum facere aut pacem dare in manu est mea. distribuere Thesauros omnes ego possum. Ipse inquit, non melius uestitur quam ego sed ęqualiter. De meo nihil expendo sed omnia ipse uult pro me expendere. Ipse mihi confidit imperia sua, regna, Thesauros, omnia magna et parua. Ego solus sum qui de omnibus istis possum facere quod uolo. Hoc ideo dico ut intelligatis quanto ille de me fidu-

ciam habet maiorem, tanto magis me eniti debere ut ipsum, Imperium ipsius, honorem, estimationem et decus conseruem. Cum eo sum educatus et creui à puero natus eadem cum eo hebdomada. Cum primum inquit sedisset in sede patris sui iste magnus Imperator. Ipse misit ad Hungaros nunciatum, patrem suum esse mortuum et se sedere in ipsius Sede, expectans quod ipsi Hungari prout moris est uicinorum, mitterent oratorem suum, consolatum eum, et ipsi congratulatum. Ipsi uero istum oratorem ceperunt et coniecerunt in carcerem. Misit deinde alium Zauss quem similiter ceperunt: forte credentes magnum aliquem dominum esse. Quę res ualde exarcebauit animum magni Cęsaris Thurcarum, Post hęc tempora inquit accidit quod Rex Francię captus fuit. Tunc mater ipsius regis ad ipsum Cęsarem Thurcarum scripsit hoc modo. Filius meus Rex Francię captus est à Carolo Rege Hispanię, speraui quod ipse liberaliter ipsum dimitteret. Id quod non fecit, sed iniuste cum eo agit. Confugimus ad te magnum Cęsarem ut tu liberalitatem tuam ostendas, et filium meum redimas. Tunc magnus Cęsar commotus et iratus Karolo Cęsari, cogitauit omni modo ipsi inferre bellum, et cum cogitaret qua ex parte melius id posset succurrit illi indignatio perpetrata ab Hungaris contra oratores suos, Et quod Ludouicus Rex Hungarię sororem Karoli Cęsaris haberet in uxorem. proinde contra eum processit cum exercitu, Ibi contra eum processit Rex Ludouicus, habitoque iure regni in manibus, hoc est gladijs vtrimque micantibus, ius illud preualuit, Et à me Imbrahimo Bassa, ius illud regni Hungarię extortum est de manibus Hungarorum. Quia ego inquit uici Hungaros. Magnus Cęsar non interfuit pręlio sed tantum audito clamore, conscendit equum et uolebat succurere Sed ego confestim misi nuncium, victoriam iam partam esse. Postea inquit cepimus budam sedem regalem, et sic iura nostra preualuerunt. Post abitum nostrum proceres regni, congregati miserunt ad nos, dicentes. Nos sumpsimus in regem nostrum, Ioannem Vayuodam Quid uultis nos facere? Nam hic stamus expectantes iussa vestra. Ad hos nuncios nihil respondit magnus Cęsar. Sed paulo post uenere nuncij à Ferdinando Rege. Inter quos quidam fuit nomine Oberdansky, dicentes: se missos esse à Ferdinando Rege, petitum ut magnus Cęsar restituat Ferdinando regi Belgradum et Samandriam. Quesiuimus, Quare? Responderunt. Quia Ferdinandus esset Rex Hungarię. Qua ratione? Quia conuenisset cum Ferdinando Ludouicus quondam Hungarię Rex quod uter prior moreretur, in alterius locum succederet. Tunc nos respondimus, nos armis illud regnum acquesiuisse. neque nobis aliquem fuisse cum Ludouico tractatum. preterea Sa-

mandriam nos habuisse ante Ludouici tempora. Sic destiterunt ab samandria petenda sed herebant in Belgrado. Dicentes Regem Ferdinandum habere fratrem potentissimum et ui recuperaturum omnia, et ipsam etiam Constantinopolim subiugaturum, et erepturum ex manibus ipsorum Thurcarum. Numquam conuenturum inter hominem et colubrum. Se quesiuisse: vel Cęsar magnus esset Coluber et Ferdinandus homo, vel econtra. Si non conuenirent, bene, irent et dicerent Ferdinando Regi, pararet sese quia magnus Cęsar constitueret uisitare regnum suum Hungarię, Et si quem inueniret qui eum molestare uellet: cum eo experturum. Secutę sunt post hoc minaces literę Oberdansky. Venit inquit tandem Cęsar in regnum suum Hungarię, cepit Budam. male cessit illis qui non expectato presidio ipsis ordinato ad deducendum, mane egressi sunt Castro Budensi, aliquotque Thurcas inuentos occiderunt. Quę res cum tumultum excitasset, prius periere quam per se Imbrahimum bassam succurri posset. Iussu autem Cęsaris aut suo numquam cesos fuisse. Capta Buda: magnum Cęsarem progressum ad Brugk Leytę ad fines scilicet regni sui Hungarię. Sed nusquam comparente exercitu Ferdinandi, uenire decreuisse Viennam quod ibi eum esse intelligeret. Quod cum fecisset, intellexisse Ferdinandum esse Lincij, quare certos precursores misit per syluas Lyncium uersus quod et ipse eo uenire decreuisset. Quid autem egerint in itinere ad Lyncium, et quomodo Viennę Imbrahimus Bassa se gesserit, hoc inquit est uobis oratoribus bene notum. Solebam inquit aliquando ambulare et circumspicere urbem non cum albo, sed alio pileo.

Interea inquit Carolus Cęsar erat in Italia et minabatur se nobis illaturum esse bellum. Adhęc se lutheranam factionem sedaturum et compulsurum ad ueterem ritum. Venit in Germaniam. Ibi quod ad lutheranos attinet, nihil fecit. Et non est Imperatoris inquit aliquid incipere et non finire vel aliquid dicere, et non facere. promisit inquit etiam concilium se facturum: et non fecit. Nos inquit non sumus tales, et frequenter non sine magno dolore oratorum, quibus respondendi nulla facultas dabatur, hanc Caroli Cęsaris impotentiam ingeminauit.

Ipso inquit adhuc Carolo in Germania existente, missi sunt ad nos alij oratores, cum petitione ut supra. Et interim obsessa est Buda à uobis Non erat officium regis uno tempore mittere oratores pro pace et postea facere bellum. Obsedistis tamen Budam et nihil fecistis, Et quare inquit? Respondit Hieronymus propter frigus. Tunc iterum Bassa bene aliud frigus sensissetis si adhuc triduo aut quatriduo expectassetis.

*

Erat inquit officium Imperatoris Karoli pacare bellum inter fratrem suum et Ioannem regem, et media pacis inuenire, presertim cum semper idem Ioannes Rex se obtulerit staturum determinationi Papę, et ipsius Caroli Cęsaris, et non tantum indulgere fraterno affectui, Nunc uero quia id non fecit Karolus, nos hic faciemus. Respondimus ergo oratoribus illis ad regnum Hungarię ius esse nostrum. Et regem Ludouicum à Ferdinando decipiendum fuisse, si Ferdinandus prior mortuus fuisset, Quia tunc Austriam occupasset Carolus, et non Ludouicus. Fieri autem potuisse ut si in lecto mortuus fuisset Ludouicus, ius aliquod fuisset Ferdinando regi in Hungariam. Nunc uero quum bis regnum illud ceperimus armis, bis sederimus in sede regali. Bis Budam ceperimus, regnum illud nostrum esse.

Et sic inquit Imbrahimus dimisi oratores Regis Ferdinandi cum responso Quod quando nobis uideretur, nos uenturos ad limites nostros Hungarię regni nostri, et si quis uellet ad illud regnum, aliquod ius pretendere, ueniret, et conferret ius suum cum nostro.

Igitur quum audiremus Carolum Cesarem nobis minari bellum, noluimus exspectare, sed ultro accessimus, uisuri si in regnum nostrum Hungarię ueniret Quumque ad Nyssam uenissemus, uenere duo nuncij à rege Ferdinando, petentes pacem nomine Ferdinandi. Nos dedimus illis pacem, quia pacem damus omnibus petentibus, et quęsiuimus an pacem uellent pro Karolo Imperatore, et an ad eam literas haberent. Responderunt se de Karolo nihil scire quia non fuisset apud dominum eorum Ferdinandum. Sic progressi sumus cum exercitu. Quumque quęrerent quo iremus? diximus nos ire ad querendum Cęsarem Karolum ubicumque esset, habere enim nos deo gratia commeatum et per terras Ferdinandi cum quo pacem haberemus transituros sine damno illis inferendo. Demum transito Drauo dixerunt se literas habere à Carolo Cęsare. Quo audito Cęsar magnus est indignatus et dixit. Mentiuntur. Quur prius non dixerunt, Volunt nos decipere, progrediamur ergo et uideamus eos dixit. Sed si eas literas prius dedissent omnino inquit soluissemus exercitum et redijssemus.

Venimus ergo inquit et (ad Hieronymum conuersus) fratri tuo Nikolitz reddidimus castrum suum, et alij prestiterunt nobis fidelitatem. Et stetimus pro libito nostro in regno nostro Hungarię, et non uidimus aliquem qui nobis fecerit resistentiam. Neque quicquam audiuimus de Karolo Cęsare. et quando uisum fuit nobis, redijmus huc et nunc hic sumus. Hęc ideo dico ego inquit Imbrahimus bassa ut intelligatis qualiter res processit Neque hoc sine causa dico.

His itaque per Imbrahimum dictis, rursum admonuit oratores Regios et dixit Estote attenti ad ęa quę nunc sum dicturus. Et ad Cornelium conuerso vultu, Es tu inquit seruitor Karoli Cęsaris? Respondit Cornelius, fui seruitor Maiestatis ipsius sed nunc sum seruitor Serenissimi Regis Rhomanorum et ipsius Maiestatis nomine huc missus. Tunc iterum Imbrahimus, Literę inquit istę Karoli Cęsaris quas tu portasti unde tibi aduenerunt? Respondit Cornelius. Serenissimus Rex mihi eas in manus dedit. Tunc iterum Bassa, Habes commissionem respondendi ad ea quę concernunt istas literas, quę à te sum interrogaturus? Respondit Cornelius. Talia possent esse quod ad ea haberem commissionem respondendi, Et talia possent esse quod ad ea non haberem commissionem respondendi diceret modo ea qualia essent. Tunc ipse Bassa ostensis literis Cęsaris Karoli istę literę inquit non sunt scriptę à modesto et prudente principe Quia cum tanta superbia enumerat titulos suos: et ea quę sua non sunt. Quare contra dominum meum presumit se scribere regem Hierusalem? An nescit magnum Cęsarem esse dominum Hierusalem et non ipse Karolus. Et irato uultu ad Cornelium conuersus. Dic inquit. Vult ipse domino meo preripere terras suas quas tenet, et ad ipsum scribendo, eum despectum facere ea sibi assumendo quę ipsius sunt ad quem scribit? Respondit Cornelius hunc morem esse in Cancellaria scribendi, quia ab olim Christiani habuissent Hierusalem. Neque additum esse illum, se putare ad contemptum sed pro usu. Qualitercumque autem esset, se non habere commissionem respondendi ad similia. Literas illas ad promotionem Ferdinandi à fratre missas esse, se aliud nihil scire. Interrupit sermonem Aloisius Gryti et dixit, prestaret inquit missas non fuisse in tali presertim forma.

Tunc iterum bassa. bene audiui inquit qualiter magni etiam domini inter Christianos sub habitu mendicorum uisitant Hierusalem. Si Carolus Cęsar hoc modo uisitando Hierusalem, se cogitet ibi regem esse, Ego prohibebo bene ne aliquis unquam Christianorum neque ipse neque alius illuc perueniat.

Similiter dixit scribit se ducem Athenarum quod nunc est Sethine. est paruum castrum inquit et est meum. Qua ratione usurpat ea quę mea sunt?

Si dominus inquit meus scriberet omnes prouincias quę suę sunt, quis inquit esset finis? neque usurparet aliena prout facit Karolus. Et iterum ingeminauit non esse principis taliter scribere, cum magna indignitate. Et subiunxit Ego non credo has literas esse Karoli Cęsaris neque ipsum aliquid de his literis scire.

Preterea in his literis ipse facit Ferdinandum ęqualem domino meo ma-

gno Cęsari. Bene inquit quod eum plus diligit rationem habet, Sed domino meo eum despectum facere non debebat. Dominus meus habet multos Sanzachos qui sunt longe potentiores Ferdinando, et plus habent terrarum, opum, et subditorum quam ipse. Et conuersus ad Hieronymum. Affinis inquit Nicolitz fratris tui et tuus, qui est Sanzachus iu Carachemith habet plus terrarum hominum et opum sub se quam Ferdinandus. Ipse potest aducere quinquaginta milia equitum qui omnes ipsi obediunt. Habet suos Spahy id est nobiles et seruos alios longe plures quam Rex Ferdinandus. Sunt et alij inquit multi Sanzachi et alij serui domini mei longe potentiores Ferdinando. Debebat ergo inquit Karolum Cęsarem pudere taliter scribere. Credit nos nihil intelligere? Certe literę istę nihil habent in se nisi deceptiones.

Sed nos aliud possumus inquit, possumus enim mittere exercitus nostros in Apuliam, et in Hispaniam, et ipsum Karolum Cęsarem in paucis diebus totaliter destruere. Ita quod nihil retinebit.

Rex autem Francię inquit longe maiore modestia usus est, et vere Regali: eo quod in literis suis nouiter scriptis dum essent in Hungaria, ad dominum suum magnum Cęsarem: sub illis subscripserat solum. Franciscus Rex Francię. Vnde magnus Cęsar ut illi honorem faceret ne nobilitate et generositate ab eo uinceretur, nomen suum non posuit in literis suis sed simpliciter ad eum scripsit tanquam ad intimum fratrem. Preterea iussimus Barbarossę ut non solum non molestet subditos regis Francię sed ipsi Regi Francię tam sit obediens quam est magno Cęsari omniaque quę ipsi iusserit exequatur.

Et iterum conuersus ad id quod aliquoties dixerat scilicet quod Carolus Cęsar promisisset se inducturum Pontificem ad celebrandum concilium, quod tamen non potuerit perficere. Ego inquit bene compellerem eos ad faciendum concilium. Et si uellem, nunc possem id facere. Et non excusarent se Christiani, modo allegando quod unus habeat podagram, alius dolorem capitis et alia propter quę non possent venire.

Et ipse Karolus inquit Imbrahimus, si nobiscum habuerit pacem, bene erit Imperator, et bene faciemus quod Rex Francię: Anglię, Papa, et alij omnes, ipsum recognoscent pro Imperatore. de quo uos inquit bene poteritis esse securi.

Nos habemus hic literas et promissa primorum inter Christianos, etiam multorum qui sunt apud Cęsarem Karolum, qui promiserunt magno Cęsari Castra et oppida sua et Commeatus et necessaria si quando exercitum mittere uellet. Illi omnes facturi sunt ea quę nos illis iubebimus.

Et ipsi Lutherani similiter.

Ego inquit Imbrahimus Bassa si nunc uellem, possem Lutherum ab una et Papam ab altera parte statuere et utrumque ipsorum cogere ad celebrandum concilium.

Et feruentior factus, ad Cornelium conuersus. Dic inquit Karolo Cęsari me fuisse illum, et esse qui impediui concilium ne in futurum habeat progressum. Sed si ipse nobiscum pacem habuerit et ad istud et ad aliud poterit Christianos inducere. Et hoc dicebat cum cholera. Respondere oratores se sperare ipsum Imbrahimum Bassam prout author fuit concilij non celebrati, ita aliquando celebrandi, authorem fore.

Tunc iterum Imbrahimus ad oratores conuersus. Quando inquit pacem habuerimus. tunc poterunt mercimonia hinc inde deuehi,

Tunc congregari homines, et fieri amici, Et tertio subiunxit Tunc Karolus erit imperator.

Creditis inquit quod post adeptam coronam Imperij ipse stabiliuit res suas? non profecto sed plures sibi hostes aggregauit.

Putatis Papam illi fidum esse? Non profecto inquit, Quando recordatur qualiter ab eo fuerit captus, et indignissime habitus, et taliter quod a nobis numquam tam indigne haberi potuisset, non potest illum amare. Ego inquit habeo lapidem qui fuit super coronam ipsius, et emi eum sexaginta milibus ducatorum. Item multos alios qui ipsius fuerunt.

Etiam inquit iste rubinus et ostendit quemdam rubinum magnum: fuit in digito regis Francorum quando fuit captus, et ego illum emi. Et creditis inquit unquam ipsum Regem Francorum amaturum Karolum Cęsarem?

Et prosequens, multa alia inquit sunt in ijs literis aliena à generositate. Quare ego inquit nolo eas ostendere magno Cęsari, nolo etiam inquit ipsi magno Cęsari omnia indicare quia maxime irasceretur et totum negocium infringeretur.

Quod autem ad resolutionem attinet. Oratores regios hęc habere debere.

Pax cum Ferdinando Rege: facta manebit.

Si Carolus Cęsar vult etiam pacem Tunc oportet quod ipse mittat oratores suos aut mittat mandatum sufficiens ad personas vestras, aut mittat mandatum et literas quibus declaret, Quęcumque Ferdinandus Rex nomine ipsius transegerit apud nos, illa omnia se habere sine ulteriore recursu rata, grata, et accepta, Pro his melius transigendis fient inducię trium mensium. Et uos scribetis ad eos de Coron, et ad alios partis Karoli Cęsaris, ut desistant ab

armis, et nos similiter nostris idem scribemus Quę inducię incipient à die datę literarum; Cum conditione quod non inducentur noua presidia in Coronem.

Scribemus preterea ad Barbarossam ut desistat à molestandis Christianis. Et iterum subiunxit.

Si pacem habuerimus inquit, Imperator Karolus bene manebit Imperator. Verum est inquit. Ipse est potens dominus inter Christianos, sed non omnes ipsi obediunt. Bene ostendam uobis multas literas ad nos missas ab ijs etiam qui apud ipsum Karolum sunt et ab alijs principibus sed ipse nullas possę ostendere ab aliquo nostrum aut ab aliquo Sanzacho ad se missas.

Responderunt Oratores, Inter se conclusum esse ut alter ipsorum scilicet Cornelius se conferret ad Hispanias. hęc relaturus.

Quod ad inducias attinet si quid ante earum declarationem fieret utrimque, non censeri ob id fractas esse. preterea non debere constringi Coronenses in tantum quod non possent emere necessaria interim panes Carnes et alia.

Ad quod assentiebatur.

Postea quesiuit Cornelius. Quid sperandum esset de illis articulis qui concernebant eos qui in Corone sunt. Et quid de regno Hungarię sperandum firmiter. Quid de Barbarossa, ut eo scito melius se posset Cęsar Karlus ad pacem disponere.

Respondit Imbrahimus Bassa. Tu uis inquit scire quid nos ad hęc dicamus, et non habes commissionem à Carolo Cęsare. Et uisus est similis commoto.

Tunc respondit Aloisius Gryti. nolite inquit nunc hęc curare: uenietis ad me et ego uobis dicam. Et ad Cornelium conuersus priusquam inquit es abiturus peruenies ad Bassam. Nam nunc ipse uult ire ad magnum Cęsarem. Sic recessimus nos oratores, Hac uice semel tantum bibimus apud eum. Diuque consyderantes ipsius uerba deprehendimus haud dubijs coniecturis, ipsum Imbrahimum quęcumque dixisset: ad cautelam dixisse propter presentiam Secretarij magni Cęsaris et Ionusbeg. Nam frequenter nobis conniuebat. Et Aloisius Gryti egit interpretem. Et quantum humana coniectura comprehendi potuit, conijcere potuimus illum, simulate hęc dixisse. Quia crederet neque Mustapham secretarium neque Ionusbeg tacituros esse audita, sed reuelaturos Thurcis, et alijs Bassis.

Ita nobis eo tempore visum est.

Post hanc audientiam, Magnus Cęsar Thurcarum et Imbrahimus bassa hoc die se contulerunt ad domum Aloisij Gryti ubi mansere per tres horas noctis, plurima secreta cum eo conferentes. de quo ipsius aduentu postea

plurima mala Thurci dicebant, appellantes Magnum Cęsarem insensatum, stultum, maleficiatum ab Imbrahimo et Gryti. prout intelligere potuimus in sequentibus, et singuli singula mala ei futura diuinabant, tam Iudęi quam Thurcę.

XI° Iunij. Iterum uenere Oratores Regij apud Aloisium Gryti. Qui primum incepit, Excusans quod prius non misisset pro ipsis, neque etiam quod heri, eo quod Baylus Venetorum apud eum fuisset.

Sed eo die quo ab Bassa discessissemus uenisse ad domum suam Magnum Cęsarem et Bassam, secumque simul locutos ad tertiam horam noctis. quorum quidem sermonum partem possit Oratoribus exponere, partem non.

Inter alia ualde miratum esse Cęsarem Thurcarum de modo scribendi Karoli Cęsaris, quia omnino adequaret eum Regi Ferdinando: cum ipse magnus Cęsar se diceret uiginti Sanzachos aut famulos habere, quorum singuli haberent plus terrarum hominum et diuitiarum quam Ferdinandus Rex.

Ex his preterea literis innui tanquam magnus Cęsar peteret pacem. Quod uerum non esse. Nam ipse pacem non petit sed petenti Ferdinando regi dat. Quid autem significarent uerba in literis posita. Spem exhibitam de pace tractanda? Tanquam ipse uellet tractare pacem.

Deinde quid illud? ut id in beneficium commune utriusque uestrum cedat, adminus inquit Cęsar Thurcarum, dixisset Karolus utriusque nostrum et non uestrum, sic enim inquit se supra nos facit: et me uult similem esse Ferdinando Regi.

Adminus sibi me parem fecisset. Quę est ista superbia? Nam et ego inquit magnus Cęsar Thurcarum: Imperator sum. Id maxime illum torsisse dixit Gryti: neque posse ullo modo concoquere. proinde se responsurum ad literas Karoli Cęsaris sed ualde duriter.

Subiunxit Aloisius Gryti. Quę nunc vobis oratoribus dicturus sum, ea vobis dicta putate. Neque cuiquam ea dicatis, Sed ab Imbrahimo Bassa eadem etiam vobis dicentur.

Primo. Cum Ferdinando rege pacem faciet, et iam determinauit ita, magnus Cęsar Thurcarum facere.

Cęsar autem Karolus, si pacem velit, querat eam à magno Cęsare, Sed sine medio Ferdinandi Regis, Non enim vult magnus Cęsar quouis modo, per medium Ferdinandi Regis, ipsi Karolo Cęsari pacem dare.

De Corone oppido. Inquit Aloisius Gryti. Magnus Cęsar nullam omnino vult mentionem fieri. Neque vult vt de ipso quisquam amplius sermonem faciat.

Hanc Resolutionem esse magni Cęsaris, et hęc dicta iri ipsis oratoribus ab Imbrahimo Bassa: Qui postmodum poterunt recedere.

Quod ad res Hungaricas attinet, ita se rem habere.

Magnum Cæsarem Turcarum uelle Regem Iohannem manere in illis, quæ habet, quia ita illi promisit.

Si ipse Iohannes Rex partem suam dare vult Ferdinando Regi: ipsum Cæsarem Turcarum esse contentum.

Se Aloysium habere plenariam potestatem disponendi de Regno Hungarię, et uenturum proxima hyeme in Hungariam, et tunc daturum ordinem in limitibus figendis.

Si serenissimus Ferdinandus Rex ipsi credere uellet, futurum se bonum inseruitorem ipsius: et facturum ea quæ sunt grata Maiestati suæ.

Verum esse Iohanni Regi donationem esse factam à Magno Cæsare pro se et hæredibus suis, Et ita ipsum obtenturum esse.

Ad hæc respondere Oratores Regiæ Maiestatis sequentia.

Inprimis verba Literarum Cæsaris in bonam partem esse interprętanda, neque mirari ipsum debere hunc Articulum de pace tractanda, Tractatum enim fieri, etiam cum alter dat altero petente, Neque Dominum Ferdinandum Regem pacem assequi posse ab ipso Turcarum Cæsare, nisi eo dante.

Quod ad id attinet, quod Cæsar scripsit uestrum et non nostrum, ob id fieri, quia primus Tractatus est inter Cæsarem Turcarum et Regem Ferdinandum, Vtilitatem autem etiam intelligi, cum ea ad Colonorum utilitatem et conseruationem facit, Principes enim esse pastores populorum, quorum quidem populorum commoditas et salus ex ipsis est principibus, Et sic quodammodo uideri ipsis utile, quod ad commissorum sibi populorum utilitatem tendit.

Hæc sane interprętanda esse et non rapienda in partem in quam non decet, prout neque illud quod Cæsar Carolus nusquam uocaret Cæsarem Turcarum fratrem, Si enim de restitutione Coronis oppidi et alijs rebus conuenirent, quæ ad pacem faciunt, tunc non defuturum nomen fratris in literis à Carolo Cæsare, ad Turcarum Cæsarem scribendis, Hactenus rem agi inter præfatum magnum Cæsarem, vt patrem, et Ferdinandum Regem, vt filium, In qua pace Carolus Cæsar sit contentus comprehendi, et non quod spetialem pacem de per se facere uelit.

Quod ad Coronem attinet, de quo magnus Cæsar ulteriorem mentionem fieri uetaret, se oratores in futurum de ipso tacituros, et obedituros magno

Cæsari, Satis enim se intelligere magnum Cæsarem id uelle ui habere, magis quam ulla pactione, De quo nescirent Oratores aliud dicere, nisi uideri sibi hanc responsionem de Corone ui habenda, esse ualde generosam. Ex quo ergo magnus Cęsar cum Carolo Cesare pacem habere non uellet, non defuturam materiam iuuenibus exercendi se et militandi, Et profecto hoc bellum futurum esse inter duos potentissimos Cæsares, Neque enim à Tempore Caroli Magni potentiorem fuisse in Europa principem Carolo Quinto præsente, nec in Asia Soleymanno. Proinde experientia cognitum iri, vtrum eorum Deus velit superiorem manere. Hæc ita responsa sunt per Cornelium.

Respondit Aloysius Gritti, verum esse Carolum Cæsarem esse potentem, sed cui non omnes obediant, Exemplo esse Germaniam, et Lutheranorum peruicatiam. Magni autem Cæsaris Turcarum nullum vnquam fuisse similem, et cui omneis ita essent præsto obedire. Illum hinc mittere posse ad Medinam Ak Naby, aut ad Mecham, vnum ex suis cum simplicissimo mandato, interficiendi maximum quenque Dominum, et confestim eum Dominum occisum iri, sicut patuisset in Achmath Bassa Chayri, qui huic rebellans à præfecto suę proprię Domus cæsus fuit. Hunc etiam Cesarem ditissimum esse, scire enim se hunc si uellet intra quatuor Menses habiturum ad decem Milliones hoc est ad centies centena Millia Ducatorum, preter Thesauros, quos hic habeat, Esse præterea inæstimabilem ipsius potentiam.

Si enim in Asia Bellum gerat, ipsam Asiam persoluere stipendium militi, Romaniam autem frumentum et commeatus. Si in Rhomania: econtra. Vnde factum, vt nunquam illi defuerit commeatus, prout experientia cognitum est in nouissima Expeditione Hungarica, in qua ipse magnus Cæsar pro persona sua habuit mille octingentos Camelos, pręter Equos et mulos innumerabiles, solum portantes, quæ ipsi magno Cæsari vsui essent, Ipsum Bassam Ybraimum mille Camelos habuisse, alios Bassas, quingentos, sexcentos, Tantam esse obedientiam, vt si nunc mandaret vnum Coquum ad interficiendum Ymbraym Bassam, nihil impedimenti futurum, quominus illum interficeret, Neminem esse ex Turcis, qui in expeditionibus non prouideat sibi de commeatu ad minus vnius Mensis, pręter id quod publice uenditur in Castris, et publice distribuitur. Id se scire. Nam magnam molem frumenti relictam esse Budæ, de qua ipse postea ordinauerit, se cum ipsis fuisse et uidisse, se omnia hæc scire et plura. Immo totum mundum esse in capite suo, eo quod omnia negotia totius mundi ad eum remitterentur, se quidem posse dicere magnam sibi authoritatem esse, śed non posse exprimere tàm

magnam, quin sit adhuc longe maior, Se posse omnes res componere, Se pacem habere in pectore, eam posse dare aut negare, facere aut inficere cum Cęsare Carolo, cum alijs omnibus Christianis Principibus et Potentatibus.

Nunquam tantum dissidij fuisse in Christianitate, Pontificem post Cesaris recessum consensisse in Diuortium Regis Anglię, itaque iam illud factum esse, Ipsum Pontificem indignari, quod Cæsar noluerit Nepotem ipsius creare in Regem Tuschię, Quominus autem id fecerit Cesar, in causa fuisse Venetos, Ducem Ferrarię et alios. Pontificem et Regem Francię conuenturos, Ipsum Regem Francię uelle habere Genuam, et habiturum.

Se Aloysium mittere nunc fratrem suum Georgium cum quatuor Triremibus et una Galeotta ad Heyradinum, hoc est ad Barbarossam, Qui Georgius sit postea iturus ad Regem Francię, et forte etiam ad Carolum Cęsarem pro componendis discordijs, Nam melius esse, quod ibi sit homo intelligens et Christianus, quam Turcus aliquis, qui harum rerum omnino esset imperitus.

Ipsum Regem Francię misisse ad magnum Cæsarem, et scire uelle, quid sibi sperandum sit de Heyradino siue Barbarossa et Nauibus ipsius.

Hæc se nobis amice dicere, inquit, audituris eadem ab Imbraymo Bassa, Sed quæ nobis dixisset, illa secreta esse uelle.

Quantum autem ad negotia Serenissimi Regis Ferdinandi attineret, se eadem bene curaturum. Vnum autem se petere, quod Regi significemus, id autem quid sit, se postea dicturum. Recepere autem Oratores Regij, se id libentissime facturos, et multa illi de virtutibus Serenissimi Regis inculcauerunt, si se amicum præstaret Regię ipsius Maiestati, futuram ipsam erga illum gratissimam. Respondit se nihil uelle, nisi illud tantum.

Subiunxit se sperare bonam pacem fore, posse etiam nunc Inducias fieri. Ad quod Cornelius, non esse opus Inducijs cum Cęsare Carolo, nisi spe pacis subsequende, de qua impræsentiarum fecisset Oratores desperare attentis prædictis. Ea vox ipsum perculit, crediditque Oratores aliquid scire de subsidio inferendo in Coronem, Nam prius dixerat ipsis tres naues onerarias Hispanorum in Zazyntho Insula fuisse, easque à Venetis abire iussas, non potuisse intrare Coronem ob classem Turcarum.

Hoc modo solutum est colloquium, ostenditque, quantum potuimus comprębendere, se ualde studiosum esse Maiestatis Regię, Deduxit Oratores per totam domum suam, vnde tota Constantinopolis uideri potest, Obtulit Bergantinum suum Oratoribus Regijs ad uidenda Castra quę sunt in faucibus Ponthi Euxini. Hoc etiam die cum inter loquendum de Iure Regni Hungarię

fieret mentio, dixissetque Hieronymus de Zara interfuisse Reginę viduę et Palatini conuocare Hungaros ad Electionem noui Regis, non potuit aliud respondere Aloysius Gritti, quam Ius esse in armis.

Vigesima secunda Iunij uocati sunt Oratores Regij ad Ymbrahimum Bassam, qui ijsdem dixit in ipso statim principio.

Qualiter per bona verba ipsorum impetrassent pacem pro Serenissimo Rege Ferdinando, Multos Oratores id conatos, sed ipsos primos id esse adeptos.

Pacem eam non ad annos decem aut viginti sed ad perpetuum duraturam hoc est quamdiu Ferdinandus Rex uellet: et eam seruaret.

In Confinijs quæcunque commissa essent: nunc cessatura, Nam accepisse se literas quibus nostri significabantur inuasisse Turcas et præsertim Croatię Comites, quæ neutrarum essent partium, Nunc hæc omnia cessatura, neque Gallinam neque ouum cuiquam ademptum iri amplius.

Quod autem multa mala accidissent, non esse mirandum eo quod ad hunc vsque diem, nihil esset conclusum, Induciarum autem tempore longe plurima solere fieri.

Id quod haberet in Hungarię Regno Ferdinandus Rex id illum obtenturum et sibi seruaturum.

Cum Iohanne Rege, si transigere possit, bene quidem, Quicquid ipsi inter se fecerint, id gratum futurum magno Cęsari et sibi.

Datam esse Aloysio Gritti omnem potestatem ordinandi limites in eo Regno.

Hæc esse, quę Ferdinandum Regem concernerent.

Quantum ad Imperatorem Carolum attinet.

Mittat Oratores suos ad fęlicem portam, si pacem uelit, Interim non molestabitur, si modo ipse non molestet, Si uero ipse eos molestare uoluerit, tunc se illi responsuros in molestando, et non ipsi modo Carolo, sed et toti mundo.

Et subiunxit enumerare bona pacis ualde copiose. Et certe in omnibus sermonibus suis inuenimus ipsum ualde abhorrentem à Bello: et desyderantem vbique pacem esse.

Postea dixit seruitores principum sicut essent Oratores Regij ibi præsentes, multa bona posse facere apud Dominos suos, Id quod præfati Oratores intellexere ipsum innuere uelle, vt principes suos ad pacem hortarentur.

Et quia fama erat passim seminata Georgium Grytti missum iri à fratre suo Aloysio cum triremibus illis ad occupandam Clyssam, Segniam et alia

Loca maritima Regię Maiestatis, Tametsi satis crederent Oratores id non ita se habere, ad omnem tamen certitudinem subiunxit Cornelius, Non dubitare se Oratores, quin ex quo pax esset nunc conclusa, non esset permissurus magnus Cęsar à Rege Ferdinando filio suo per quenquam aliquid aufferri, puta arces aut oppida, Id quod Hieronymus intercipiens clarius exposuit, dicens, famam esse de Georgio Gryti, illum velle Regi adimere supradicta oppida, prout rumor erat etc.

Ad hæc verba Imbrahimus Bassa eleuans oculos dixit, Vos afficitis me pudore talia dicendo, Quales homines essemus nos, si cum pacem vobis damus, aufferremus et adimeremus vobis oppida vestra, Gryti id minime facturum, de quo non deceret nos dubitare, Esse aliud.

Quæsiuere postea Oratores dicti, Qualiter deberent alloqui magnum Cæsarem, Ipsi enim Imbrahimo Regiam Maiestatem tantum confidere, vt fratri, et ipsis Oratoribus iniunxisse, vt in omnibus rebus ipsius consilio uterentur neque aliter facerent.

Ad quod ille respondit, Ex quo tantam in me fidutiam habet frater meus Ferdinandus Rex, omnino quid expediat, dicam.

Viso inquit Imbrahimus Bassa magno Cæsare et exhibitis illi honoribus debitis, exponetis breuibus et paucis verbis, Qualiter Ferdinandus Rex filius eius, maxime gaudet de ipsius sanitate, Et dicit quod ipse et Regna prouintieque suæ sunt patris sui, Et uicissim Regna et bona patris sui sunt sua, Et quod ipse in omnibus uult gratificari patri, quodque vicissim pater suus in omnibus ipsi gratificabitur, Eodem modo dicetis de Regina Maria.

Postea dicetis. qualiter Rex Ferdinandus intellecto quod ego Imbrahimus Bassa de nobilissima Domo sum natus, et tantum possim apud ipsum magnum Cęsarem rogauit me, vt sibi essem frater senior, et ipsius negotia apud patrem suum haberem commendata, Similiter fecissent Reginę, Ideo petere præfatum Ferdinandum filium, vt pater ipsius, velit ipsi Imbrahimo in omnibus, quæ eum concernunt apud patrem suum, fidem dare: et permittere, vt sit suus procurator.

Quod ad negotia attinet: ea per nos Oratores declarata et exposita esse ipsius magni Cæsaris Consiliarijs, Proinde non opus esse repetitione.

Hæc inquit breuibus sed neruosis verbis dicere debetis.

Quod ad Regnum Hungarię attinet, ego ordinabo, vt Ferdinando Regi bene consulatur, Nam Aloysius Gritti Sclauus meus, eo proficiscetur, cui ego, quod opus erit committam.

Postea Imbrahimus conuersus ad Cornelium, Tu inquit cras uidebis magnum Cæsarem et bene tibi placebit, Respondit Cornelius, Se multa de Maiestatis ipsius egregia forma audiuisse, et gratissimum sibi futurum Maiestatem ipsius videre.

Subiunxit Imbrahymus ad Cornelium, de Ceremonijs exhibendis crede Hieronymo, patri tuo assumpto, Nam ipse diutius hic fuit, Nihilominus et tu facile deuenies bonus Aulicus, si hic diutius maneres, Nam tu quidem es Iuuenis, sed tamen habes bonum cerebrum, Et bene faciunt principes tales homines mittendo.

Rogauerunt postea Oratores Regij, vt liceret ipsis Capitula pacis in particulari in ordinem redigere, et capitulationem spetialem de omnibus conditionibus pacis facere.

Respondit, id minime factum iri, Quia sicut vos habetis morem vestrum, ita nos inquit habemus nostrum, Sed magnus Cæsar scribet ad Ferdinandum, ea, quæ prius sunt dicta, et eas literas includet intra Bursam vnam et postea sigillabit eandem, et vobis eam consignabit, ita est modus noster.

Similiter inquit Magnus Cęsar scribet ad Carolum Cæsarem responsiuas ad suas.

Hoc die antequam Oratores Regij irent ad Bassam, portata sunt eis Munera nomine magni Cęsaris, more Thurcarum et in vestibus Thurcicis iussi sunt ire ad Imbrahimum Bassam, quod et fecerunt.

Hoc eodem die postquam redijssent à domo Bassę acceperunt literas de data decimę tertię Maij per viam Rhagusi à Regia Maiestate.

XXIII° Oratores Regij expectantes, vt uocarentur ad portam fęlicem, iussi sunt circa horam octauam et mediam se parare, Venit ad deducendum eos Saws Bassa nomine Hiaraly Husseinbegh, vir notabilis et egregius, habens in comitatu circiter centum et quinquaginta equites optime uestitos, auro et sericis, Cum quo profecti ad præfatam portam fęlicem, vsique ceremonijs solitis, peruenerunt tandem ad ipsos Bassas, His salutatis positisque duabus sedibus ex opposito Bassarum, pransi sunt cum illis more solito.

Inter prandendum Imbrahimus Bassa ualde humaniter ipsos inuitauit vt essent læti, dicens in gratiam ipsorum Oratorum commedere, alias omnino abstenturum fuisse à cibo, Et ad Cornelium conuersus, Tu inquit, es uerecundus et cogitas, Respondit Cornelius, Nihil magis decere Iuuenes quam verecundiam, Hoc illis placuit, Nam uehementer talibus dictis mouentur.

Bibente Imbrahimo Bassa expectabant Cęteri et sic per ordinem bibitum

est semel, erat autem aqua dulcis. Postea cum sitirent Oratores, Hieronymus, quadam ipsis grata dexteritate usus, submonuit Imbrahimum, Qui ob hoc lætus, Hieronymum dixit esse bonum aulicum Thurcam, ipsum illic diutius fuisse quam Cornelium, et sic æquum esse, ipsum melius scire modum, Tunc autem bibente Imbrahimo stabant reliqui duo Bassę Ayas et Cassum et ipsi Oratores, postea autem cum bibissent, consederunt.

Postquam aliquamdiu consedissent, Imbrahimus Bassa locutus est in Aurem cum Ionusbeg Interprete, qui steterat semper ante mensam, iussitque dici Oratoribus.

Qualiter, ex quo ipse Imbrahimus Bassa uellet bene consultum et prospectum esse rebus Ferdinandi Regis fratris sui, uelle Oratores admonere quomodo debeant pro principio alloqui magnum Cæsarem, admonere autem, vt dicant sequentia verba.

Ferdinandus Rex filius tuus reputat omnia bona sua esse bona tua, qui es pater suus, et omnia bona tua reputat esse sua, qui est filius tuus.

Ipse non sciuit, quod tu uoluisti Regnum Hungarię pro te habere, si hoc sciuisset, nunquam in eo Bellum fecisset, Sed credidit quod istud Regnum occuparetur ab alijs, Cum autem intelligat te patrem suum, habere istud regnum pro tuo, maxime gaudet, et optat tibi, vt patri suo bonam sanitatem, Quia habita bona sanitate, non dubitat, quin tu, qui es pater suus, prouidebis ipsi filio tuo de illo Regno et de alijs Regnis pluribus.

Oratores Regij egerunt ipsi Gratiam per Ionus Begh de bona admonitione, rogantes eum, vt se exhiberet bonum fratrem et fratris sui res haberet commendatas.

Dum hæc fierent, sedebant duo Bassæ, Et nesciunt Oratores Regij an ipsi intellexerint verba ipsius Imbrahimi, quę dicebat ipsi Ionus Begh, et credunt quod bene intellexerint, Tamen ostendebat se parum curare, intelligerent uel non intelligerent.

Postea egressi sunt tres Bassæ, secuti sunt Oratores Regij, deducti à duobus Capygi siue Ianitoribus optime uestitis, prior immissus est Hieronymus, et vestem deosculatus est, postea Cornelius subsecutus, identidem vestem ipsius magni Cæsaris deosculatus est.

Sedebat autem magnus Cæsar super tabulato quodam strato pannis aureis gemmis intersertis, cum pretiosissimis puluinaribus.

Deosculata veste aliquantisper stetere Oratores Regij, et anhelitum retraxere. Interim Imbrahimus Bassa dixit quędam Cesari Thurcarum, quæ

Oratores non intellexerunt. Postea conuersus Imbrahimus ad Oratores Regios, Dicat inquit vterque vestrum et ad Cornelium conuersus, Dic tu prior inquit, quia posterior uenisti.

Tunc Cornelius honore exhibito, salutauit ipsum magnum Cæsarem secundum documentum, quod dederat heri Imbrahimus Bassa et secundum id quod Oratores hodie admonuerat.

Erat autem inter Imbrahimum et Oratores Interpres Ionus Begk, sed apud magnum Cæsarem interpretabatur ipse Imbrahimus Bassa, Nam Cęsar Turcarum non attendebat ad uerba Ionus Begk. Duo autem Bassę ne verbum quidem unum loquebantur, neque se mouebant.

Nesciunt autem Oratores Regij, quid dixerit Imbrahimus Bassa, sed uiderunt ipsum longe plura dicentem, quam Ionus Begk ipsi diceret. Et sic quando Imbrahimus uolebat, vt Oratores loquerentur, iussit eos admoneri per Ionus Begk.

Hoc etiam notauerunt Oratores: ipsum Imbrahimum manibus, oculis et capite ipsis innuere et uidebant ipsum lætari, Et erat in labore et cum maxima diligentia loquebatur, Hoc poterant præfati Oratores consyderare.

Cum autem Salutationem præmisisset Cornelius, excusasset, quod munera non misisset, instetisset, vt Imbrahimo Bassę, tanquam fratri adoptato Magnus Cæsar iuberet, vt susciperet procurandi offitium in causis filij sui Regis Ferdinandi.

Idemque Cornelius pro Serenissima Regina Maria instetisset, vt mandaret ipsius Maiestati Donationem propter Nuptias factam restitui ab Erdel id est à Vayuoda, Conclusit propositionem suam Cornelius, Hieronymum Patrem suum adoptatum et se cum Imbrahimo Bassa quædam egisse nomine et ex parte filij sui Ferdinandi Regis, de quibus non dubitarent ipsi Oratores, quin Maiestas ipsius Cæsarea intellexisset ex ipso Imbrahimo Bassa, Et ideo nolle ipsos Oratores, ipsius Maiestati rursus importunos esse, petere ob id Maiestas sua Cæsarea dignetur desuper ipsis Oratoribus benignum responsum præbere, prout omnino de eo, vt de patre suo Rex Ferdinandus confideret.

His dictis à Cornelio, et relatis à Ionusbegk ad Imbrahimum Bassam, qui magno Cæsari ea retulit, Oratores Regij nihil loquebantur, nec Hieronymus nec Cornelius, nisi quod vnanimi consensu prius concluserant: et inter loquendum deliberauerant, Sed erat vnicuique eorum loquendum, quando Imbrahimus Bassa uolebat, et non quando ipsi.

Igitur finito sermone Cornelij, iussit Imbrahimus Bassa, vt Hieronymus

loqueretur, qui eo honore exhibito, quem sciebat longo vsu edoctus, decere, incepit.

Magnum Cæsarem potuisse intelligere ex Sclauo suo Sawss, qui fuisset apud Ferdinandum Regem filium suum, qualiter ea, quæ nomine præfati Regis filij sui promisisset, uera essent, Et quod nihil aliud inueniretur in rei ueritate.

Et quod ob id filius suus Rex Ferdinandus, longam et diuturnam pacem peteret cum patre suo.

Quodque hic Baylum siue Consulem tenere uellet, et frequenter patrem suum literis et offitiis inuisere.

Concludendo in idem, Magnus Cæsar dignaretur filio suo benignum responsum præbere, Nihil esse filij, quod non sit patris, Nihil esse Patris, quod non sit filij, Gratissimum Nuntium allaturos Oratores Regios ad filium suum Regem Ferdinandum Dominum ipsorum si ipsum sanum retulerint esse, Nam mediante sanitate patris sui et Regnum Hungarię et alia Ferdinandum Regem sperare, Pręcari Oratores Regios, vt Deus ipsum magnum Cæsarem secundet.

Imbrahimus Bassa à Ionus Begk sibi relata, Magno Cęsari exposuit, Et forte, quod omnino uerisimile est, erat Ionus Begk Interpres ab Imbrahimo edoctus, quibus uerbis Turcicis uti deberet.

Tandem post omnia ipse Magnus Cæsar quater locutus est publice audientibus Oratoribus, Et præsertim non intelligente Cornelio altero ipsorum.

Tandem Ionus Begk interpres, iubente Imbrahimo Bassa conuersus ad Oratores Regios dixit sequentia.

Magnus Cæsar, quecunque petistis, vobis concedit, Vos estis fęlices, quia habetis bonum responsum, quod Responsum sex alij, qui hic fuerunt prius non potuerunt impetrare.

Magnus Cæsar dat uobis pacem bonam et firmam, non ad annos septem aut viginti quinque, aut centum, sed ad ducentos, trecentos et perpetuam, Donec et quamdiu vos ipsam pacem volueritis et non fregeritis.

Magnus Cæsar pro filio suo Ferdinando Rege faciet, sicut decet patrem, Terrę ipsius Magni Cæsaris et Gentes ipsius sunt Ferdinandi filij sui Terrę et Gentes, Et Terrę Gentesque ipsius Ferdinandi filij Magni Cæsaris sunt Terrę et Gentes Magni Cæsaris patris ipsius.

Si Ferdinandus Rex, filius magni Cæsaris uoluerit ab eo pecuniam, Naues, Gentes habere, scribat solum et habebit, Et hæc omnia quamdiu ipse

pacem non fregerit, Nam magnus Cæsar ipsam nunquam fracturus est, Immo in propria persona et cum artellaria offerendo omnia.

Reginæ Marię magnus Cæsar dat Dotem suam et omnia quæ habuit in Regno Hungarię.

Tunc Imbrahimus Bassa interrumpens sermonem Ionus Begk interpretis ita dixit.

Magnus Cæsar et ego mittam sclauum meum Aloysium Gritti in Hungariam qui habebit de omnibus istis plenam potestatem tàm de restitutione Donationis propter Nuptias Serenissimę Reginę Marię quam de Limitibus et alijs rebus.

Hæc cum dixisset, Imbrahimus Bassa, admonuit Cornelium Ionus Begk, vt tanquam Procurator Reginę Marię, pro gratia ipsi Reginę facta, oscularetur ipsius Magni Cæsaris manus, Id quod Cornelius fecit, et post eum Hieronymus, Sed uestem tetigere prope genua: non manus, Nam Magnus Cæsar neque manus neque quicquam mouebat.

Adiunxit postea Imbrahimus Bassa, Quicquid inquit Ferdinandus Rex transegerit et composuerit cum Iohanne Rege: hoc Magnus Cæsar et ego habebimus gratum et confirmabimus, et eo veniet Aloysius Gryti Sclauus meus cum potestate plenaria.

Quicquid interuenerit Ferdinando fratri meo aut Reginę Marię, statim mihi scribat vnas literas et ego statim expediam omnia, quia sum procurator ipsius ordinatus.

Magnus Cæsar erit amicus amicis filij sui et inimicus inimicis filij sui Ferdinandi Regis.

Magnus Cæsar hanc pacem faciet publicari et scribet eam ad amicos suos.

Subiunxit idem Imbrahimus Bassa.

Quod ad Carolum Cæsarem attinet, ipse inquit Imbrahimus Bassa et Ferdinandus duo sunt.

Ferdinandus habet pacem, Si Carolus Cæsar eam similiter habere uoluerit, mittat ad fęlicem portam.

Hæc erat resolutio Imbrahimi Bassę, Qui Imbrahimus Bassa conuersus ad Cornelium, Dic inquit, si aliqua vis dicere de Carolo Cæsare.

Respondit Cornelius se nihil habere, quod diceret, præter id quod primo die dixerat, cum ad eum ueniret scilicet Carolum Imperatorem scripsisse ad Ferdinandum Regem fratrem suum, se in hac pace uelle comprehendi. Cum autem ipse magnus Cæsar noluerit ipsum Carolum Cæsarem in hac pace com-

prehendere, priusquam ipse Carolus Cæsar proprios Nuntios et Literas mandet ad felicem portam, Oratores Regios Hieronymum et Cornelium, nullam à Carolo Cæsare commissionem habere, sed ipsis iniunctum esse à Rege Ferdinando, vt ea quæ Cæsar Carolus ad se Ferdinandum scripsisset, concernentia pacem, recenserent ipsi Magno Cæsari et Bassæ, et quod ipsis placeret intelligerent et sibi mandarent, vt id ipsum ad Carolum Cæsarem scribere posset, Proinde ipsos obtemperantes mandato Regię Maiestatis ipsam Maiestatem suam Regiam certiorem esse facturos, Quæ id omne ad Carolum Cesarem fratrem suum scriptura esset.

Tunc iterum Imbrahimus ad Cornelium.

Quid dicis inquit de literis, quas portasti et de verbis, quæ insunt illis literis, Et uidebatur uelle, quod ipsi Oratores Regij Hieronymus et Cornelius excusarent scriptionem illam: Et optimo modo, cum certa quadam lætitia et iucunditate loquebatur, quæ ostendebat animi ipsius alacritatem.

Et certe in hoc actu toto ita se gessit Imbrahimus Bassa, quantum Oratores Regij percipere potuerunt, vt summa affectione uideretur omnia agere et diligentissime, Neque quidquam aliud poterat notari.

Respondit Cornelius, Hieronymum Collegam et patrem suum adoptatum et se scire certissime, Carolum Cæsarem nunquam usum fuisse opprobrijs aut despectibus faciendis cuiquam. Sed vnicuique liberum esse, quam in partem uelit, scripta ipsius et literas rapere et interpretari.

Ex quo ergo ipsi Magnus Cæsar et Imbrahimus ea scripta essent in aliam partem interpretati, et ita ipsis placuisset, Oratores Regios nihil aliud posse.

Verissimum esse, si placuisset magno Cæsari in pace cum Ferdinando filio suo nunc conclusa, Carolum Cæsarem comprehendere, Oratores Regios cum ueritate dicere posse, Carolum Cæsarem esse ratificaturum hanc pacem. Ex quo autem non uideretur Maiestati suæ comprehendere uelle in ea pace Carolum: ipsos Oratores ita relaturos esse Ferdinando Regi vt de hac conclusione magni Cæsaris possit Carolum Cæsarem facere certiorem, Neque uideri Oratoribus Regijs, quicquam esse reliquum, cuius magnopere interesset exprimi.

Satis uidebant Oratores Regij affectum Imbrahimi Bassæ, vt forte aliquid suppliciter dicerent nomine Caroli, Sed id non erat uisum Oratoribus Regijs faciendum, Quia intellexerant, quo in statu res erant.

Sic tandem valedixere Magno Cæsari: et egressi non sine admiratione omnium Turcarum, quod tamdiu apud Magnum Cæsarem manserant, Nam

ad horas ferè tres apud ipsum substiterant, prout ipsi Turcę omnes dixere, Cum alij Oratores aliorum Principum non tàm diu in magna comparatione soliti essent manere apud personam magni Cæsaris: Per Sawssios et alios in magno numero Domum deducti fuere.

Omnino uero hoc notauere, nullum fastidium ex ipsorum sermone obortum esse magno Cæsari, aut Imbrahimo Bassæ, qui aliquoties ipsos interrogauit, an plura uellent dicere.

Quæ supradicta, vt transacta sunt, ita bona fide et diligentia statim scripta sunt, et his uerbis usi sunt Imbrahimus Bassa et ipsius iussu Ionus Begk Interpres, preter quem non erat alius in Camera preter Cæsarem, tres Bassas et duos Oratores Regios.

XXIIII° die Iunij à meridie uocati sunt ad Imbrahimum Bassam Oratores Regij, apud quem Bassam erat tunc Ludouicus Gryti: Consedere.

Incepit Imbrahimus Bassa, magnam esse differentiam inter homines et homines, Sex Oratores ibi ante fęlicem portam fuisse nomine Ferdinandi Regis, nullum eorum ea fecisse, quæ nunc essent facta, quia non habuissent gratiam loquendi, prout isti postremi Oratores habuissent.

Et incepit ex eo defectu recensere mala, quæ subsecuta essent et incommoda Bellorum, quæ omnia auertere dicebat illos potuisse, si verba ipsorum fuissent consona ipsorum mandatis, Sed primo deprębendisse se in illis vnum, postea aliud, cum trans Drauum uenissent, hinc iudicasse illos non integre sed ficte agere, Vnde subsecuta ea essent, quæ aduenere.

Ad quæ Oratores Regij, vt ignari harum rerum et desuper non habentes commissionem respondendi, nihil dixerunt.

Subiunxit Imbrahimus Bassa, ipsos Oratores Regios præsentes habuisse gratiam in oculis magni Cæsaris, quia consilio parere sciuissent.

Itaque portaturos esse bonum Nuntium, ad Dominum eorum Ferdinandum Regem, Quid enim esse melius pace? Et recensebat iterum bona pacis, durauitque hic sermo ipsius ad nauseam vsque ferè.

Postea incipiens de re loqui, dixit Oratoribus Regijs, Vos, inquit, pacem habetis quamdiu uolueritis, modo eam non frangatis, firma erit et uidete diligenter.

Hanc pacem magnus Cæsar et ego publicari faciemus et hic et Rhagusij.

Ad Rhagusium scribemus, vt Nuntium vel Consulem Ferdinandi Regis ibi permittant stare, ire, redire, morari, Literas item et alia transmittant ad fęlicem portam.

Facite, vt Ferdinandus Rex, cumprimum ad ipsum perueneritis, ad fęlicem portam huc mittat, et acceptet ea, quæ per vos conclusa sunt, et diligenter ipsa obseruet in futurum, Qua in re vsus Consulis vel Nuntij apud fęlicem portam tenendi est ab ipso obseruandus propter multas quęrelas, quæ obuenient de die in diem, ad quas Nuntius ille vel Consul respondere poterit, Aliam autem et meliorem pacem cum Ferdinando Rege filio suo seruare vult magnus Cæsar quam cum alijs.

Et subiunxit, Ipsos Oratores audiuisse heri Aloysio Gryti datam esse omnem potestatem transigendi res in Hungaria.

Se Imbrahimum Bassam ordinasse ipsi Aloysio Gryti, vt ueniat ad Ferdinandum Regem et illi exponat secreta sua, quæ illi commisit exponenda, Quia ipse inquit est Cor meum.

Post fidelium seruiciorum nostrorum humillimam commendationem, Percrebuit hic fama ex literis Hieronimi Iadrensis de pace cum Turco transacta, sicuti antea ad Maiestatem vestram scripsimus, que si ita, vt ille scribit, confecta est, non possumus non vehementer gaudere, ceterum quoniam ea res aduersarijs, quemadmodum ex certis indicijs cognouimus, molestissima est, veremur ne daturi sint operam, quibuscunque artibus et versucijs poterunt, ne huiusmodi pax confirmari possit, forte inter cetera affirmabunt, se eam longe facilius, et cum maiori cesaris Turcarum emolumento componere potuisse, Turcus eo semper fuit animo, et est, vt omnes res suas ex suo commodo meciatur, Quare Maiestati vestre supplicamus, dignetur efficere, ne Ioannes, et ceteri pacem, si que bona confecta est, vllis technis aut artibus impedire possint, quo minus et confirmetur et duret, Nos enim vehementer timemus versuciam hostium, qua vna re sua hucusque promouerunt, Hec ex nostra fidelitate ad Maiestatem vestram scribenda duximus, Que non negligat nos quoque edocere, quid nobis deinceps sit faciundum, ne hic frustra teramus tempus, et impensas magnas et graues faciamus, Deus optimus maximus Maiestatem vestram seruet felicissimam, Posonij xj^a Marcij 1533

Eiusdem Maiestatis vestre Sacratissime

fideles Seruitores
Commissarij Posonij constituti,

Nachschrift auf einem besondern Blatte:

Illud quoque Maiestas vestra dignetur cogitare, quum nos et vnus ex Ioannis commissarijs hic maneamus, illi eciam qui abierunt expectentur, vel hinc arripere aduersarij poterunt occasionem calumniandi apud Turcarum cesarem Maiestatis vestre actiones, quasi cum Ioanne, quam cum ipso Turcarum Imperatore malit de pace transigere, et ob eam causam illius animum a Maiestate vestra alienare, et hanc pacem intercipere conabuntur, Viderit eciam Maiestas vestra, an deceat nos hic manere diucius, quum aduerse partis Commissarij tres iam abierint,

XXXVIII.

Schreiben der zur Friedensunterhandlung mit Johann von Zápolya nach Presburg gesandten deutschen, ungrischen und böhmischen Commissäre König Ferdinands I. an Diesen.

Presburg, 12. März 1533.

Aus dem von Secretärshand geschriebenen Originale im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive. Antwort auf Nr. XXXV.

Sacratissime Regie Maiestati domino nostro clementissimo

Die einem über rothes Wachs gebreiteten Papierstreifen aufgedrückten sieben Siegel zeigen die Wappen Katzianer's, Herberstein's, Beck's, Alexius Thurzó's, Szalaházy's, Pernstein's und Pflug's.

Sacratissime Rex domine clementissime

Post fidelium seruiciorum nostrorum humillimam commendationem, Reddite nobis sunt vestre Maiestatis litere, date Lincij viij^a huius mensis, quibus explicat rationes et causas, cur Oratorem miserit pacis componende gracia ad Imperatorem Turcarum, Non dubitamus, quin Maiestas vestra omnes suas actiones ad commodum et vtilitatem Reipublice Christiane referre soleat, et ob hoc litere Maiestatis vestre maxima nos voluptate et leticia affecerunt, precantes deum, huius auctorem consilij, vt quemadmodum inicia bona esse dicuntur, ita exitus sit huic Regno, subditis omnibus felix et salutaris, Quod autem Maiestas vestra cercior de nostra opinione vult fieri, vtrum Vienne, que ciuitas prouinciarum suarum caput est, an Lincij prestet audire Turcarum cesaris Oratorem, iam antea Maiestati vestre ob multas et grauissimas causas persuadere sumus conati, vt Viennam se conferret, Eadem nunc quoque nostra est opinio, idem consilium, Causas illas non repetimus, ne fastidium auribus vestre Maiestatis afferamus, Hoc tantum ad rationes prioribus literis nostris expositas addimus, Oratori Turcarum cesaris nusquam hoc tempore, vel commodius, vel magis ex dignitate vestre Maiestatis audienciam dari posse, quam Vienne, tum ob vrbis amplitudinem et frequenciam, tum quod huic regno, item Bohemie, Morauie, ceterisque suis prouincijs est finitima, Fuit apud Maiestatis vestre predecessores semper obseruatum, vt Turcarum Oratores loco celebri, et curia frequentissima introducerentur, quum nihil pluris Turcarum, et similium barbarorum legati estiment, aut mirari et predicare soleant, quam principum ad quos mittuntur Magnificenciam, Poterit Maiestas vestra ex hijs propinquis nacionibus, quibus imperat, precipuos euocare, sicuti eam ex hoc Regno et Bohemia euocasse plerosque intelligimus, Multi sua sponte non vocati accedent, adeo vt Vienna ob has, et plurimas alias commoditates, locis alijs, ad hanc Turcarum Oratoris audienciam preferenda videatur,

Reuerendissimus Dominus Olomucensis, ob aduersam qua laborat valetudinem, paulo ante quam literas vestre Maiestatis vltimas accepissemus, cum alijs dominis Morauis collegis suis discesserat, Misimus post eos exemplum literarum Maiestatis vestre, hortantes eos, vt non domum, sed Viennam se conferrent,

Mandat nobis Maiestas vestra, vt si Ioannis commissarij abijssent, nos Viennam proficisceremur, atque illic quid deinceps facto esset opus a Maiestate vestra expectaremus, Tres ex illis abierunt, quartus hic restat, quemadmodum vestre Maiestati per literas nostras copiose declarauimus, Ad quas nondum vestra Maiestas nobis rescripsit, Vbi rescripserit, obsequemur voluntati et mandato Maiestatis vestre, Quam Deus optimus maximus felicissimam seruare dignetur, Posonij xij^a Marcij 1533

Eiusdem vestre Maiestatis Sacratissime

fideles Seruitores
Commissarij Posonij constituti,

XXXIX.

Schreiben Wilhelms von Rogendorf an Maria, verwitwete Königin von Ungern und Böhmen und Statthalterin der Niederlande.

(Linz), 12. März 1533.

Aus dem von Rogendorf durchaus eigenhändig geschriebenen Originale im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive.

Kuniglicher M^t czw vngern vnd bechem meiner aller genedigisten frauen ꝛc.

Das Siegel ist abgefallen.

Aller genedigiste kunigin, ich acht miers schier fur ain halbs vngluckh das ich Eurn kuniglichen M^ten dy aller grosten vnd pesten neuen czeyttungen nit am ersten hab verkhunden sollen, dy vrsach ist das mier ku M^t gen khrumbau erlaubt czw dennen hern von Rossenberg, sy so ferre es muglichen bere czw vergleicheñ, vnd bie ich am vij^ten dicz mont hinein czogen, ist dy erst khundschaft am viij^ten dicz mont khumen bie Eur ku M^t durch Ro ku M^t auch durch den adler klar vernomen habñ, nun ist heint alher des jeronymo de czaro soñ czw ku M^t vmb 11 vr in der nacht ankhumen vnd hatt den turckhischeñ orattor oder gesantten pis gen steyr geprachtt jnñ alda bey herñ nicklassen Jureschicz gelassen pis auf ku M^t beiterñ beschaidt vnd bie anczaigt alher postyert kuniglicher M^t seines vatter handlung vnd fridt so er mit dem turkhischeñ kay beschlosseñ anczeczaigen, der allerlay gutte auch etliche besbertte artickle in sich hatt, doch so ist khain ainnig besberung darjnñ bo dy Ro kay M^t bellen, dan biebol der fridt in sich helt das ain jeder behalten solle bas er jeczt hatt, vnd doch so erpeutt sich der turckh mit dem Janusch czw handlen damit er dem kunig das kunigreich gar ab trette gegen ainer czimlichen vntterhaltung dan das er jn bider sein billen darczw czw dringen nit mag, angeseheñ sein czwsagen so er dem Janusch gethan, aber im grundt dy beyl er kuniglich M^t czw ainem soñ, Eur kuniglich M^t vnd mein aller genedigiste frau kunigin anna Eur baidt M^ten czw tochterñ angenomen, so belle er niemancz das khunigreich pas dan Eurn M^ten gunnen fur sich belles er nicht dem Janusch gehor es pillichen nit czw, vnd in suma daran ligt der grundt das er corroñ gerñ bider hette vnd schlecht fridt mit

dem pabst vnd kay czw machen auch fur auf 5 oder vij jar doch so sol jm corron bider berden von kay M^t des belle er auch vmb Jer M^t in ander bruderlicher lieb vergleichen dan es sey jm nicht bert oder gelegen bert es nit behalten khunden vnd auch vrsachen noch mer vbles in der khristenhait vnd plut vergiessen daraus khumen, dan bo jm kay M^t corron nit bider lies mussten ain jeder sein pestes thon vnd czwischn jnnen baiden kaissern khain fridt sein, doch dy handlung oder fridt czwischen ku M^t vnd seiner des turckhn Jer baider lebn lang Jern furgang habn, doch burd coron bo jm das nit bider burdt ku M^t in aller handlung czwischen des beydas vnd Jern M^ten auch imer schedlich sein, vnd gebn in gar fil arttikl czw erkhennen bo kay M^t den friden annemen berden vnd khoron bider gebn burdt das czw verhoffen dardurch gancz vngerlandt czw erlangen bere, es hatt sich der embrien bascha auch in allen sein reden merckhn lassn er bisse den beyda mit ain stuckh prott bol czw friden czw stellen bo sein grosmachtigisten kay khoron bider biert vnd entlichen daran ligt alle sachn desthalbn Jer M^t heint vber dy handlung schier dy ganczen nacht gessesn den gungen zaro gehort vnd den graffen nicklas von salm mit disser handlung czw kay M^t abgefertigt, jm alle disse handlung dye gar fil mer in sich helt dan ich enthalten oder anczaigen khan aber meins achtens ist dicz fast der grundt, vnd bas in disser fricz handlung das aller schberst ist das ist das dy ku M^t dem turckhischn potten solle dy schlussle czw dem schlos gran gebn, biebol er der embryen bascha dem zaro czugesagt sein her bert das schlos nit nemen vnd dy vnsern darjnnen lassn jedoch so bille ers also habn dy ercz aigen das ku M^t dissen friden mit gutten herczen bey jm ersucht, vnd ist also czwischen durch den zaro czw gesagt vnd den friden darauf angenomen, der gedacht turckhisch pott ist necht gegen der nacht bie anczaigt gen steyr ankhumen der heint alda bleyben biert, vnd ku M^t ist czw furderlicher abfertigung graffen nicklas heintt hie belibn, morgen biert Jer M^t hinab gen bien der pott hinnach vnd alda verhort vnd biert Jer M^t den friden also annemen vnd den turckhischn potten pis auf des graffen nicklas ausrichtung czw bien auf halten der entlichen hoffnung durch hilf Ro kay M^t berde das vberig hernach khumen, daraus gar treflichen fil gucz folgen mag, friden in der gancz khristenhait verainigung des glaubens vnd darczw alles gutt, dan der embrien bascha khundt sich nit bol mer erpietten, bie ich vernim so berden Eur ku M^t vermecht vnd gutter durch den turckhn austrucklichn Eur M^t czw getaylt vnd czw geornt bie Eur ku M^t noch pas nach lengs vernemen bern dan ich in der barhait nit czeit Eurn M^ten alle dye artickle der vber aus fil sein anczeczaigen bie gern ich es thett ich hab auch den khopf oder verstant nit solches czw thon, ich bolt auch nit gern vermelt sein das ich so beytt angeczaigt hette biebol ich bais das ich nicht vnrecht thue bo es allain dy gefere des beges nit bere so acht ich es burde mier gar nit verargt bo mans schan buste, vnd bais auf dicz mal Eurn ku M^ten nichcz anders dan das ich mich derselbn Eurn M^ten mit dem aller vnttertanigisten hie mit thue befelhen actum in eyl den 12ten tag marcij 1533

Eur ku M^t

vnttertaniger gehorsamer
diener wy v Rogendorff

XL.

Schreiben der Hauptleute der Besatzung von Koron an Hieronymus von Zara.

Koron, 12. März 1533.

Aus dem mit acht Unterschriften versehenen Originale im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive. Zu Seite 4. Antwort auf Nr. XXII. Auf dem Umschlage steht von der Hand Peters von Traù: R^ta in constantinopoli a di primo aprille. *Beantwortet unter Nr. XLIV.*

Al muy magnifico señor el señor gironimo de zara enbaxador en la corte de costantinopla por el serenissimo y potentissimo Rey de Romanos

Das Siegel wie bei Nr. XXIV.

muy magnifico señor

por vna de v. m. fuimos avisados de la paz o tregua que entre la magestad çesarea y el potentissimo Rey dungria con el emperador de los turcos avia contratado y juntamente el treslado de la auctoridad que de las dichas magestades tenia para podello hazer a lo qual de continente rrespondimos y porque a los doze de março emos Reçibido otra de v. m. hecha a los onze de hebrero en costantinopla y por pareçernos ser la sustançia de las dos vna rrespondemos lo que ya por la otra aviamos escrito/ y es que nosotros somos vasallos y soldados de la magestad del enperador nuestro señor y quedamos por guardia desta tierra y para ofender los enemigos y hasta que veamos orden de su magestad espresa de hazer lo contrario desto no podemos hazer otra cosa porque nos pareçe que haziendolo no cunpliriamos con lo que devemos al serviçio de nuestro prinçipe y con la obligaçion que a nuestras onrras tenemos

creemos que con el mucho cuydado que v. m. tiene en el serviçio de sus magestades avra dado tal diligençia que la orden no podra tardar de lo que huvieremos de hazer. nuestro señor la muy magnifica persona de v. m. guarde y estado acreçiente como v. m. desea. de corro oy martes a 12 de março 1533 años/.

Gironimo de Mendoça	Aluaro de Grado	Melchior de Saavedra
Domingo de Acuña	Iuan Perez de Zanbrana	Charles Desparça
Francisco de Silva	Luys Piçano	

XLI.

Schreiben König Ferdinands I. an seine Schwester Maria.

Wien, 22. März (1533).

Aus dem Originale wie Nr. I. Adresse und Siegel wie bei Nr. III.

madame ma bonne seur humblement et de bon ceur a vous me recomende

madame en ensuiuant ce que dernierement vous escriuis de lintz ce que auoie entendu de mon ambasadeur vers le turk est arriue la nuit que vouloie partir dudit lintz

le fils de mondit ambasadeur et lesoeit a lambasadeur du turk a stair 4 lieux de lintz lequel me dit ce que auoeit son pere tratier aueques le turk dont vous enuoie vng extrait ycy enclos et sy ne lay fet plus tost ce a este la cause la hate de mon partement et aussy que eusse voulontiers oy ledit ambasadeur ou mensagier du turk pour sauoeir sil y auoeit riens dauantaie mes en sa audience nay riens trouue sinon que vient pour sauoer la surte et asurance de ce que mon ambasadeur a tratie et entendre de moy sy est ainsy ma voulonte ou intencion et selon que voy que les aferes sont disposes me semble que auons trouue vng bon pere et principalement sil emp^r monsg^r veult entendre et sacorder a rendre a coron a condicion que le turk rende hungrie spereroie que seroiet faisable et lacepteroeit le turk dieu doint sa grace que le tout vaie comme est de necesyte pour le comung bien de la cristiante et doint a vous madame ma bonne seur bonne vie et longe cest de viene le 22^e de mars

vostre vray bon frere
ferdinand

XLII.

Aeusserung der nach Wien berufenen ungrischen Herren über die ihnen auf Befehl König Ferdinands I. zuerst durch Johann Hofmann von Grünbühel, obersten Schatzmeister, in deutscher und sodann durch Kaspar Horwáth von Wyngárth, Oberstkämmerer in Ungern, in ungrischer Sprache vorgetragenen Friedensbedingungen.

(Wien, 22. — 29. März 1533.)

Aus einer Abschrift im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive. — Die Namen der ungrischen Herren können bei Istvánfi, Buch XII, oder bei Katona, Band XX, Seite 882, nachgelesen werden. Wyngarth (Weingarten oder Weingartskirchen) wird jetzt Vingárt oder Vingárd geschrieben.

Maiestas uestra per Magnificum Dominum Ioannem Hofman Consiliarium suum dignata est nobis ordine explicare omnia propemodum consilia, actiones, curas, et labores suos quos tum pro Regni Hungariæ, tum aliorum subditorum suorum incolumitate per hos Annos suscepit, Qui fuerint Maiestatis uestræ conatus, ut Regna sua uel Armis uel pace et concordia tueri posset, Neque per Maiestatem uestram stetisse, quod non omnia ex Subditorum suorum desiderio et expectacione euenerint.

Expositæ sunt nobis causæ, quibus adducta fuerit Maiestas uestra ut ad Turcarum Cæsarem oratorem mitteret, Expositæ sunt condiciones, quibus inter Maiestatem uestram atque illum de pace conuenerit.

Agimus Maiestati uestræ tum nostro, tum absentium Amicorum nostrorum, ac tocius Nationis Hungaricæ nomine gratias immortales, et quas possunt agere maximas boni et beneficiorum memores subditi de tanta solicitudine, et susceptis pro Republica Christiana laboribus, huc nostrum Votum spectabat, hanc præcipue Rem omnes intuebamur, quum Maiestatem uestram in Regem ac Dominum nobis elegimus, eiusque fidelitatem omnibus commodis et fortunis nostris prætulimus, quod sperabamus fore, ut

Maiesta is uestræ uirtute, opera, et studio Hungariam ab hijs præsertim communibus Religionis hostibus liberam essemus habituri.

Serenissime Rex, pacem que Regno Maiestatis uestræ salutaris esset iamdudum uehementissime desiderauimus, ut aliquando ex hijs Malorum tempestatibus, quibus iam penè obruti sumus, ad aliquem tranquillitatis portum perueniremus. Et iccirco improbare non possumus, quod Maiestas uestra præsentium Temporum et necessitatis habita Racione ad pacem A Turcarum Imperatore petendam Animum adiecerit. Ceterum Conditiones quædam non ęque nobis atque alijs Maiestatis uestræ subditis utiles ac commodæ uidentur esse. Habebunt alia Maiestatis uestræ Regna, quod felix sit, ad Tempus securam ab hijs hostibus quietem, nostra tamen condicio multo est deterior.

Concedit enim Thurcarum Imperator Maiestati uestræ eam Regni portionem, quam nunc ipsa possidet. Hec Regni diuisio a Thurca præsertim uel impetrata uel concessa, quantum Malorum omnium cumulum secum ferat, dignetur Maiestas uestra considerare, Nam ut taceamus quam difficile atque inusitatum sit, unum eiusdemque linguæ populum, hijsdem legibus et moribus imbutum, et qui vni tantum Regi obtemperare sit solitus, duos diuersa sencientes Reges habere, Multa insuper incommoda et pericula quæ ennumerari vix possunt hanc Regni particionem consequentur.

Quanta uero pars Regni penes Maiestatem uestram sit non ignorat, Maiora profecto uectigalia et emolumenta, sine quibus nec constare Regna possunt, nec Administrari, sunt in hostium potestate, Comitatus plerique sic confusi atque mixti sunt, ut perpetua contencione certetur, vtrum Maiestatis uestræ, an partium sint aduersarum. Bona Serenissimæ Reginæ hostes aut possident, aut infestant. De Bonis Illustris Domini Georgij Marchionis Brandenburgensis præter muros Arcis Hunnyad nihil superest, quin hostes occupauerint.

Ex fidelibus Maiestatis uestræ nemo fere est, quin aut Ecclesiam suam, aut prouentus, aut Arces, aut Bona, uel omnia, uel maximam partem desideret. Et iccirco dum Regnum sic partitum erit, cogentur alteram e duabus subire conditionibus, ut aut in fide Maiestatis uestræ cum summa inopia, ut plerique ad hunc diem fecerunt, neglectis omnibus eorum commodis et Patrimonijs perseuerent, aut Aduersario Maiestatis uestræ Bonorum suorum recuperandorum caussa se subijciant.

Præterea Maiestas uestra ne in subditos quidem suos auctoritatem aut iurisdicionem suam Regiam, dum Regnum sic diuisum erit, poterit exercere. Nam ut cuiusque causa durior fortasse uidebitur, ut quisque animaduersionem, aut penam iudiciorum suspectam habuerit, ad hostes se conferet. Malefici quorum infinitus hoc Tempore numerus est, partim a Nobis ad hostes, partim ab illis ad nos metu supplicij transfugient, latrocinia ultro citroque sine intermissione exercebuntur, atque ita semper alia atque alia Materia Bellorum et Dissensionum domesticarum in Regno nascetur, nec vnquam finis erit Malorum et miseriarum, donec vnum Regem et pastorem uestram Maiestatem agnoscemus. Id nisi fiat, etiam si hostes externi defuerint, actum profecto erit de Regno Hungariæ, neque Maiestati uestræ quitquam utilitatis afferet, Sed perpetuas tantum et molestissimas Animi curas et inquietudines, Nobis uero uastitatem et Exitium.

Credimus Turcarum cæsarem eam Regni partem, quam Ioannes possidet suam existimare utpote quam de suis penè manibus illi tradiderit. Quod si ea pars aut viuo aut mortuo Ioanne per Turcas occupetur, quibus Maiestatem uestram ex condicionibus federum repugnare non licebit, futurum omnino timemus, ne ex illa portione que amplior est, hanc quæ Maiestati uestræ subiecta est, ex occasione quum libitum Thurcis fuerit, intercipiant, et ita toto Hungariæ Regno citius nostra opinione pociantur.

Fecit Maiestas uestra sapienter, quod hanc ad Turcas Legationem secretam esse uoluerit, quum non ignoraret, quam multi essent tum emuli, tum insidiatores futuri qui negotia Maiestatis uestræ apud Turcam uel impedire uel deteriora facere conarentur. Si tamen Maiestas uestra cum uno aut altero Hungaro nostrarum et Turcicarum Rerum non ignaro communicare Legationem uel ob eam causam dignata fuisset, quod de Regno Hungariæ, deque Capitibus, et fortunis nostris præcipue agebatur, addi fortassis particulatim potuisset aliquid, nec Maiestati uestræ, nec eius subditis inutile uel contemnendum, vnde non tantum difficultatis ad extricanda quæ supersunt negotia, relictum esset.

Maiestatem uestram rogamus et obtestamur, ut consideratis hijs tantis tamque grauibus incommodis, quæ hanc Regni diuisionem comitabuntur, Dignetur ex sua pietate et prudencia prospicere et cauere, ne dum ex vno Regno alioqui satis superque lacero, et tantum non perdito duo Regna facere cogitamus etiam Regni nomen amittat Hungaria.

Clauem Arcis Strigoniensis A Maiestate uestra petit, Rem ut Turca simulat, et uideri uult facilem et exiguam, ut nos istorum hominum Astuciam et Calliditatem interpretamur magnam et factu difficilem, Neque enim Rem tantillam quanta clauis vna est, desiderat, neque de una Arce Strigoniensi agitur, Sed quum Turca Strigonium Maiestatis uestræ alteram nunc Budam et Sedem Regiam esse arbitretur, ita hanc clauem accipiet, et ita tum christianis, tum infidelibus omnibus euulgabit, quasi ius et possessionem Regni de Manibus uestræ Maiestatis extorserit, quam rursus Maiestati uestræ ex suo reddiderit arbitrio, quemadmodum Ioanni de suis manibus et Budam et Coronam reddidit. Et si nihil aliud ea res detrimenti afferret Maiestati uestræ fama certe dedicionis huiusmodi, quæ toto orbe spargeretur, non parum detraheret nomini et existimationi tum uestræ, tum cæsareę Maiestatis, tum familiæ suæ clarisssimæ. Haberet autem in futurum, uel hic Turcarum Imperator, si uiolare fedus uellet, uel eius progenies maximam occasionem Regnum hoc tanquam iure sibi debitum repetendi, populosque hoc prætextu multo facilius ad Arma uestræ Maiestati, aut liberis eius Serenissimis, Regnisque suis inferenda posset euocare. Ob has igitur causas suadere non possumus, ut Maiestas uestra clauem Arcis Strigoniensis Turcarum Cæsari mittere debeat, præsertim quum Maiestas uestra bonas et honestas habere possit excusationes, quominus id prestare possit.

Sacratissime Rex, dat Maiestati uestræ Turcarum Imperator filij appellationem, Serenissimas Reginas filias uocat, paratus etiam sanctissimo Domino nostro, et Maiestati cæsaree, suos utrique pietatis titulos accomodare. Non est cur Maiestas uestra dedignetur (Sic enim Temporis Racio exigit) uel fictam illius Tyrranni beneuolentiam. Ceterum

ita ad omnes Rerum Euentus Maiestas uestra parata et intenta sit, ut cogitet Thurcarum Imperatores ne suis quidem filijs, aut parentibus quos Natura inter se conciliat, Imperij et Regnorum causa parcere consueuisse.

Et quamuis Maiestas uestra spem nobis ostendat fore, ut per cæsaream Maiestatem, aut alia quappiam ratione tocius Regni possessionem assequatur, Tamen quum id incertum adhuc sit, Supplicamus Maiestati uestræ, ne quid intermittat laboris et curæ donec id perficiat, quum nullum alium seruandæ Hungariæ Modum habere possit. Interim uero uel per hunc Thurcarum oratorem, uel per Hieronimum Iadrensem, qua in parte conditiones istæ pro commodo Maiestatis uestræ, et Subditorum suorum emendari possint aut ampliari, nolit ommittere.

Quod si Maiestas uestra Budam et reliquam Hungariæ partem absque Ioannis consensu non posset obtinere, Consultum nobis uideretur ut Maiestas uestra per aliquos internuntios, aut Mediatores ageret apud Ioannem de Cessione suæ partis, oblata compensacione aliqua, quod multo esset facilius, quam si Armis adhuc et bello Ioannem persequi Maiestas uestra cogeretur, Si tamen id Turcarum Cæsarem non offendat.

Quod Thurcarum Cæsar spem Maiestati uestræ facit longiorum quoque Induciarum, Nihil est quod nunc possimus consulere, ubi tamen Regnum totum in potestatem suam (ut spes est) uestra Maiestas acceperit, Suademus ut quam possit longissima federa cum illis ineat et paciscatur, tum ob Regnorum suorum, tum ob Serenissimorum liberorum securitatem, Si forte Maiestas uestra (quod Deus longissime differat) ante maturiores illorum Animos e viuis decederet.

Hæc sunt Sacratissime Rex, quæ nobis impresens ad proposicionem uestræ Maiestatis ex debita fidelitate nostra dicenda fuerunt. Supplicabimus alio Tempore Maiestati uestræ pro restituenda communi libertate nostra, quæ per tempora uarijs Modis conuulsa et labefactata et penè sublata est, deque alijs publicis negotijs, de quibus speramus nos A Maiestate uestra benignum et gratiosum Responsum reportaturos.

Sacratissime Rex, Hesterno die exposuimus Maiestati uestræ quam esset huius Regni diuisio tum publice et in vniuersum, tum priuatim omnibus, et præcipue Maiestati uestræ, ac deinceps suis heredibus Serenissimis perniciosa. Idem nunc repetimus, non posse ullo pacto durare illud Regnum uel paucissimis Annis, quin funditus euertatur, nisi Maiestas uestra maximis et extremis quibusque conatibus suis coniunctum et unitum sibi uendicare studeat. Satis enim superque uestrae Maiestati cognitum est, eam quoque Regni partem quam possidet, ita esse confusam, ut nullus propemodum Comitatus sit, quin Ioannitarum uel Arcibus, uel Munimentis aliquibus sint impediti, qui fortasse certiores facti de condicione pacis inter Maiestatem uestram et Thurcarum Cæsarem initæ, ut eo ampliorem suam dicionem faciant, ac longiores fines proferre possint, nulla prorsus induciarum habita Racione omnia passim occupant, quæ Maiestati uestræ semper subiecta fuerunt, Id quod Maiestas uestra tum ex Ciuium, tum ex aliorum fidelium suorum supplicacionibus et assiduis quærelis poterit plane cognoscere. Præterea apertum cum Maiestate uestra Bellum geritur, qualemcunque de Ladislao More

confingant excusationem. Si hec per induciarum Tempus fiunt, satis iam nunc potest intelligi, quantum periculi sit infuturum expectandum, quum Maiestatis uestræ subditi hostes quisque suos penè intra Domesticos parietes sit habiturus. Vnicum Remedium est, ut Maiestas uestra Regnum totum possideat, nec dubitamus quin id ipsa quoque Maiestas uestra uiderit semper et optauerit, Sæpius tamen eandem Rem ex nostra fidelitate, ac Patriæ nostræ monentibus periculis cogimur iterum atque iterum repetere.

Qua autem racione Regnum uniuersum Maiestas uestra suum possit efficere, Non est quod nos multa uerba faciamus, quum huius rei causa non parum Maiestas uestra laborauerit, et ut nobis persuademus plures Modos ac Vias quesierit et sit experta, et eo tandem res deducta sit, ut de Cessione suæ partis Regni apud Ioannem Turcarum Imperator per Grittum se daturum operam sit pollicitus, et quum adiecta sit etiam Coroni permutacio, Non dubitamus, quin Maiestas uestra si rem serio sicuti facit prosequetur, ad optimum et imprimis desideratum exitum sit perductura. Neque enim uerisimile nobis uidetur Maiestatem Cæsaream fratrem coniunctissimum, hac in re non tam Maiestati uestræ, quam uniuersæ Christianæ Reipublicæ maxime salutari defuturam. Vna præterea res est, cuius antea meminimus, ut cum Ioanne Maiestas uestra, Turcarum Cæsare non refragante concordaret. Nam antequam Maiestas uestra Arcem Budensem que in Manibus Ioannis est obtinuerit, Neque reliquam Regni partem, neque omnes Hungaros ad obedientiam suam consencientes sine Armis habere poterit.

Diximus inter alias plurimas incommoditates, quæ hanc Regni diuisionem sequentur, vnam esse, quod fideles Maiestatis uestræ suis uel Ecclesijs, uel Arcibus, uel Bonis uti non possent, nisi in partes Aduersariorum concederent. Cui quidem Malo, si Maiestatis uestræ orator fuisset informatus, poterat ut credimus non magno negotio mederi. Nam quum Turcarum Cæsar partem Regni Maiestati uestræ concedebat, Rogatus Bona quoque omnia Subditorum eius remisisset aut remitti mandasset.

Supplicamus itaque Maiestati uestræ, dignetur aliquem Virum idoneum et peritum cum hoc Thurcarum oratore mittere Constantinopolim, qui vnacum Hyeronimo Iadrensi agat primum quatenus Maiestati uestræ uidebitur de Regni tocius possessione adipiscenda, quæ res si dilacionem aliquam caperet perficiat id quod antea est ommissum, ut tum Ecclesiæ, tum Bona alia fidelibus uestræ Maiestatis remittantur.

Et quamuis nulla Spes sit Regnum Hungariæ diuturnum fore, nisi unum Regem habeat, Si tamen id nulla omnino Racione possit nunc effici, faciat Maiestas uestra, quod in Rebus desperatis fieri solet, ut quæ minus mala sunt eligantur. Curet fines suos designari quam potest amplissimos ab Aduersariorum finibus, aut flumine aliquo, aut Montibus separatos, ita ut totam eam que Maiestatis uestræ pars futura est, absque controuersia possideat, Minus erit contencionis, ac minus periculi.

Et quum summum periclum sit, ne Thurcarum Cæsar alteram Regni partem, que sub Ioanne est, eo præsertim mortuo intercipiat, Maiestas uestra dignetur huic quoque malo sapienter occurrere, Et si alia ad hanc Rem desunt uel Consilia uel Rationes, efficiat apud Thurcarum Imperatorem, ut post Ioannis obitum, in illa etiam Regni parte Maiestas uestra et eius liberi Serenissimi possint succedere.

XLIII.

Schreiben Kaiser Karls V. an Sultan Suleiman I.

Alessandria, 26. März 1533.

Aus einer Abschrift im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive. Zu Seite **16**, **25** *und* **29**. *Die Antwort unter Nr. LXIV.*

Carolus Quintus, diuina fauente clementia Romanorum Imperator Augustus, ac Rex Germanie, Hispaniarum, Castelle, Legionis, Aragonię, vtriusque Sicilię, Iherusalem, Hungarię, Dalmatię, Croatię, Granate, Toleti, Valentię, Gallitię, Maioricarum, Hispalis, Sardinię, Cordube, Corsice, Murcię, Giennis, Algarbij, Gibraltaris, Balearium Insularum, Canarię, Indiarum ac terre firme Maioris Oceani, Archidux Austrię, Brabantię, Styrię, Carinthię, Carniole, Lymburgię, Gheldrię, Calabrię, Athenarum, Neopatricę, Vuirtenberge etc. Comes Flandrię, Habspurgi, Tirolis, Barchinone, Arthesię et Burgundię, Palatinus, Hannonię, Holandie, Zelandię, Ferreti, Kiburgi, Namurci, Rosilionis, Ceritanię et Zutphanię, Lanndtgrauius Alsatię, Marchio Burgouię, Oristani, Gotiani et sacri Romani Imperij, Princeps Sueuię, Cathalonię, Asturię etc. Dominus Frisię, Marchię Sclauonicę, Portus Naonis, Biscaię, Molinę, Salinarum, Tripolis et Meclinię etc. Serenissimo ac Potentissimo Turcharum, Asię et Grecię Imperatori Sulymano Sultano Sciach etc. Salutem, Serenissime ac potentissime Princeps. Quum ex litteris Serenissimi Principis, Domini Ferdinandi Romanorum Hungarię ac Boemię etc. Regis, Archiducis Austrię, fratris nostri Charissimi, intellexerimus, qua beneuolentia et humanitate illius Oratorem, qui istic est, Serenitas vestra exceperit, et spem eidem fratri nostro pro parte vestra exhibitam de pace tractanda, et de honesta opinione, quam eadem Serenitas vestra de ipso fratre nostro merito gerit, et ea que ipsius Oratori proposita fuerunt, dictam pacem concernentia, necnon que Orator Serenitatis vestrę eidem Serenissimo fratri in hanc sententiam insinuauit, Noluimus pretermittere, quin pro nostra affectione, quam erga eos, qui ad pacem et concordiam bonam voluntatem habent, prout cuiuslibet boni Principis magnanimitatem, virtutem et amplitudinem decet, Serenitati vestrę scriberemus, Significantes, nobis gratum futurum, si res talem et tam bonum effectum sortiatur, vt id in commune benefitium vtriusque vestrum cedat, et vt idem Serenissimus frater noster, patrimonium et Ius suum hereditarium ad Hungarię Regnum assequatur et asseruet quod prętter honestatis et æquitatis lęsionem dimittere non potest. Et quia tam bono et auspicato principio res cępta, nobis de vestra honestate et modestia, ac pro ea opinione, quę de iusto et magnanimo Principe, iuris et æquitatis studioso habenda est, omnino pollicemur huiusmodi concordiam ad effectum peruenturam, Quod si fiat, dignitatis fratris nostri, illiusque honoris habeatur ratio, ac conseruationis Iuris ipsius ad prenarratum Regnum Hungarię, de quo Serenitatem vestram iam satis abunde informatam, et quę hactenus pro parte vestra gesta sunt, ex sinistra informatione processisse credimus. Nos vicissim ad ea offitia, quę bonus princeps erga alium honeste prestare debet, paratos reperiet, et quic-

quid amicitię Serenissimo fratri nostro pręstiterit, nobis ipsis factum reputabimus, Nam nos illius Res et negotia, nostra propria merito æstimamus, Et Serenitatem vestram bene valere cupimus. Datum Alexandrię die xxvj Mensis Martij Anno Domini M.D.xxxiij Imperij nostri xiij et Regnorum nostrorum xviij.

Carolus

Ad mandatum Sacratissimę Cæsareę et Regię Catholicę Maiestatis proprium

A. Perrenin

XLIV.

Schreiben des Hieronymus von Zara an die Hauptleute der Besatzung von Koron.

Konstantinopel, 3. April 1533.

Aus dem zu Nr. X beschriebenen Hefte. Zu Seite 4. Antwort auf Nr. XXIV und XL.

Illustre Signor Molto Magnifici et Stręnui Signori Capitanij

A di primo de aprille per mezo delo Illustrissimo Signor Hebrain Bassa doi letere de Vostre Magnificencie in rispuosta de tre mie o recceputo de 15 de febraro et de 12 de marzo da corron e benissimo quelle inteso, ale quale dela rispuosta debita mancare non posso, Dinotando che per la Iddio gratia o contractato la Pacce tra la Cæssarea et Catholica Maesta et summo Pontifice, con il Serenissimo et Potentissimo Imperador de Turchi, Assia, Greccia etc. per alcunj annj, et in Vitta con il Sacro Re de Romanj mio Signor, Al che alj 27 de genaro ho inuiato uno mio fiolo a sua Regia Maesta con uno nuncio del gran Signor Turcho li quali infalanter se aspettano per Sancto Georgio prosimo futuro a Dio piacendo, Il che non dubito che sua Maesta ipso facto hauera dato noticia alla Cæssarea Maesta Signore et fratello de sua Maesta per il che penso che Vostre Magnificencie sin dubio haueranno hordine da sua Cæssarea Maesta,

E per che il gran Signor Turcho seriosamente a tutti li soi sanzachi de confinj ha comesso che debano leuare le offese che sonno contra la Cæssarea Maesta et la Maesta del Re mio Signor, e con me concluso per nome de lorro Maesta chio el simile debba fare alla terra de Corron et per tuti li altri confini e chussi per debito e fatto, Parre mo che hora il Gran Signor Turcho se doglia dicendo che per tutti li altri confinj de lorro Maesta e tenuto lo pacto fatto eccetto da Vostre Signorie in corron che sette per quatro fiate saliti fuora e depredato luochi et confinj di sua Imperial grandeza, Primum la Villa de susacho nella quale hauetj preso doi turchi, Al Castello de Calamata hauetj posto a saccho alcune robbe, nel borgo del Castel de Miseuere presi doi turchi e posto a saccho Similmente apresso il Zonchio sacchegiato vna villa e presi alquanti turchi dil che molto cj incargano dil prometer nostro iusta la conclusione fatta e porane sortir qualche gran malle,

Per tanto il fidel mio rechordo e a Vostre Magnificencie del quale quelle haueranno honore et laude grande che per liberalita et honore dela Cæssarea Maesta Signor nostro gracciossissimo de tuttj, uogliati tenere le inducie ouero tregue fatte qual penso per nullo modo puono esser contra lhonor et uirilita di Vostre Signorie ancj in comendacione et exaltacione di quelle per fina tanto uenga la resolutione dela Cæssarea Maesta, la quale penso non puo passare piu oltra de mese vno et mezzo comenciando dal Datum di questa, Il che faccendo Vostre Magnificencie sin fallo demostraranno gran seruicio alla Cæssarea Maesta et alla Maesta del Re de Romanj, e a uostre Magnificencie sera atribuito como a nobili Cauallierj et Sapienti huominj de guerra vertu et gloria dela patria, Il che me confido Vostre Signorie per nobilita et gentilezze sue non faranno altramente per non chausar gran desturbo, preiudicio, et nuoua guerra alloro Maiestade, Et quanto questo importa Vostre Magnificencie como Sapientissimi Signori et Capitanij lo puono benissimo comprendere, et pensare che io sin gran chausa non son mandato qui, ne seria stato auso scriuer a Vostre Magnificencie senccia gran fundamento, al che non me licito piu oltra ostendere, Ale Signorie Vostre lomnipotente Dio doni la gratia et fauore suo como di quelle e il Desiderio, Et io a quelle molto mi reccomando et offerro,

Dala Citta de Constantinopoli ali .iij. de aprille, 1533

Hieronymo de Zara dil Potentissimo
Re de Romanj etc. Oratore etc.

Al Illustre Signor il Signor Don Hieronymo de Mendoza insieme con li altri Signori Capitanij in la Citta de Corron Signori amicj et quanto fratelli honorandi

XLV.

Vollmacht König Ferdinands I. für Cornelius Duplicius Schepper.

Wien, 5. April 1533.

Aus dem Concepte mit der Überschrift: Mandatum ad Turcam, *im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive.*

Ferdinandus etc. Tametsi superiori anno Egregio fideli nobis dilecto Hieronymo de Zara plenam et sufficientem dederimus concesserimusque commissionem auctoritatem potestatem et mandatum nostri nomine cum Serenissimo et potentissimo Principe Domino Selymo Imperatore Asieque Grecie etc. patre nostro charissimo paciscendi pacemque ineundi Cuius commissionis auctoritatis potestatis et mandati vigore idem Hieronymus fedus et pacem vice nostri sub certis modo et forma cum dicto Imperatore inierit Verum autem cum certis legitimis de causis animum nostrum mouentibus cupiamus eidem Hieronymo in his que adhuc cum dicto Turcarum Imperatore nomine nostro

tractanda restant collegam adiungere Iccirco primitus omnia et singula per ipsum Hieronymum hactenus ex parte nostra cum dicto Imperatore acta facta dicta et gesta ratificantes et approbantes omnibus melioribus modo via iure causa et forma quibus melius et efficatius possumus et debemus necnon sponte et ex certa nostra scientia animoque bene deliberato fecimus constituimus et creauimus prout facimus creamus et constituimus per presentes in nostros veros et legitimos Nuntios oratores actores negotiorumque infrascriptorum gestores spetiales et generales ita tamen quod spetialitas generalitati non deroget nec econtra videlicet sepedictum Hieronymum de Zara necnon Egregium syncere nobis dilectum Cornelium Sceperum etc. tamquam quorum fidem integritatem rerumque gerendarum dexteritatem et industriam perspectam et comprobatam habemus absentes tamquam presentes Dantes et concedentes eisdem Hieronymo et Cornelio Nuntijs et oratoribus nostris plenam facultatem auctoritatem et potestatem simul vel in casu infirmitatis aut mortis vel detentionis vnius vel alterius ipsorum vel altero interesse nolente aut non valente duntaxat cuilibet eorum in solidum pacem cum dicto Imperatore Turcarum iam initam nostri nomine acceptandi et cum eodem Imperatore vel solo vel cum agentibus mandatarijs et hominibus suis ad hoc ab eo spetiale mandatum habentibus super reliquis differentijs si que fuerint necnon negotijs nostris que cum ipso agere habemus nostro nomine vice et loco ac pro nobis et vniuersis regnis prouintijs et dominijs nostris libere simpliciter vel sub modis pactis conditionibus quibus voluerint tractandi transigendi concordandi paciscendi concordiamque vnionem et amiciciam mutuam ineundi firmandi et concludendi Et generaliter omnia et singula faciendi dicendi gerendi exercendi et exequendi que nosmet faceremus et exequeremur ac facere et exequi possemus si premissis omnibus et singulis presentes et personaliter interessemus etiam si talia forent que mandatum exigerent magis spetiale quam presentibus est expressum Ponentes eosdem Hieronymum et Cornelium Nuntios et oratores nostros in locum et vicem persone nostre Promittentes in verbo nostro regio nos omnia et singula per eosdem Nuntios et oratores nostros aut in casu predicto alterum eorum in premissis et circa ea prolocuta acta tractata accepta inita pacta firmata et conclusa firmiter obseruaturos ac perpetuo rata et grata valida et firma habituros nec contra ea vel eorum aliquod vllo vnquam tempore directe vel indirecte quouis modo nomine colore vel ingenio dicturos facturos vel venturos dolo et fraude omnique sinistra machinatione in ijs omnibus postpositis et penitus seclusis Harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum et sigilli nostri appensione munitarum Datum Vienne 4 Aprilis 1533

XLVI.

Neues Beglaubigungsschreiben König Ferdinands I. für Hieronymus von Zara an Sultan Suleiman I.

Wien, 4. April 1533.

Aus dem mit dem nach Konstantinopel zurückkehrenden Vespasian von Zara bereits abgeschickt gewesenen, auf Befehl König Ferdinands aber gegen ein auch auf Schepper lautendes Beglaubigungsschreiben vertauschten und wieder zurückgesandten, mit König Ferdinands Unterschrift versehenen Originale auf Pergament im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive.

Serenissimo et potentissimo Principi Domino Selymo Imperatori Turcorum Asię et Grecię etc. Patri nostro charissimo

Vom Siegel sind nur noch rothe Wachsspuren vorhanden.

Serenissimo et potentissimo Principi Domino Selymo Imperatori Tvrcorvm Asie et Grecię etc. Patri nostro charissimo Ferdinandvs Diuina fauente clementia Romanorum, Hungarię, Bohemię etc. Rex, Infans Hispaniarum, Archidux Austrię etc. Salutem et continuum augmentum filialis obseruantię. A quelle cose le quale ni ha nunciado, et notificado per il figliolo suo l'Oratore nostro, el qual hauemo mandato a vostra Grandeza, cioe che essa vostra grandeza con animo disposto habbia consentido alla pace, la qual si debbe habere con noi, et per questo rispetto ni habbia drizato il Nuncio suo, acio che l'intendesse da noi medemi, se quella fusse la mente, et uoluntade nostra, la qual il preditto Orator nostro haueua trattada con vostra grandeza sopra questa pace, Ad essa uostra grandeza respondendo significhemo, che nui gratiosamente hauemo inteso il tutto, et l'hauemo con il medemo bono, et benigno animo, et Core acettado, et sopra esso hauemo ditto al Nuntio suo à bocha quello che da lui l'intendera alla uenuta sua, aduisando vostra grandeza che noi siemo per deportarsi bene uerso lei, si come ricerca la ragione de la bona vicinitade et l'offitio filiale. Hauemo anchora commesso alchune cose al ditto Oratore nostro circa à essa pace, et altri negotij da essere trattadi piu abundantemente con vostra grandeza, si como da esso l'intendera. Per tanto la pregemo uoglia exhibirsi circa le predittę cose beneuola, et facile, et como benigno Padre, et hauerni per raccommandati sinceramente il che sforzeremo di recompensare uerso essa vostra grandeza con ogni fede, et dispositissima uoluntate, et Amicicia filiale. La qual desideremo viuere in sanitade. Datum Vienne al Anno del nostro signore Mille Cinquecento e Trenta tre alli .iiij. de Aprile. Delli Regni nostri Romano .iij. et delli altri .vij.

Ferdinandus

XLVII.

Neues Beglaubigungsschreiben Desselben für Denselben an den Grosswesir Ibrahim.

Wien, 4. April 1533.

Aus dem wie Nr. XLVI bereits abgeschickt gewesenen und auf gleiche Weise vertauschten und zurückgesandten, mit den Unterschriften König Ferdinands, Bernhards von Cles und Johann May's versehenen Originale auf Pergament im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive.

Illustrissimo et Excellentissimo viro Ibraim Bassę supremo Consiliario Mandatario et summo Cancellario Serenissimi ac potentissimi Selymi Imperatoris Turcarum Amico et fratri charissimo

Vom Siegel sind nur noch rothe Wachsspuren vorhanden.

Ferdinandvs, Diuina fauente clementia Romanorum, Hungarię, Bohemię, Dalmatię, Croatię, Sclauonię etc. Rex, Infans Hispaniarum, Archidux Austrię, Dux Burgundię, Brabantie, Stirię, Carinthię, Carniole, Marchio Morauię etc. Dux Lucemburgię ac Superioris et Inferioris Slesię, Wirtemberge et Teckę, Princeps Sueuię, Comes Habspurgi, Tirolis, Ferretis, Kiburgi, Goritię, Lantgrauius Alsatię, Marchio sacri Romani Imperij supra Anasum, Burgouię, ac superioris et inferioris Lusatię, Dominus Marchię Sclauonicę, Portus Naonis et Salinarum etc. All' Illustrissimo et excellentissimo viro Ibraim Bassa supremo Consiliario Mandatario et summo Canceliero del Serenissimo et potentissimo Selymo Imperatore de Turchi Amico et como fratello charissimo. L'Oratore nostro el quale hauemo mandato al potentissimo Imperatore de Turci padre nostro charissimo Signore uostro per conto di la pace ni ha significado con quanto facile et disposito animo esso Imperatore li habbia consentito, et con quanto fauore et diligentia l'habiati aiutada et promossa a douersi fare et di quanto bono animo siati uerse noi, le qual cose hauemo aldite molto iocondamente et certamente le hauemo ricepute con grato animo, referendoui digne gratię per tanto fauore uostro et promotione, le quale ad altro tempo piu abundantemente con la beneuolentia et offitij nostri si sforzaremo de renderui effectualmente, Et tutto quello che sopra questa pace hauemo ditto al Nuntio dell' Imperatore uostro, da esso piu diffusamente à bocha l'intendereti. Hauemo oltra di questo commesso al ditto nostro Oratore come da lui anchora sapereti alchune cose circa questo, et circa alchuni altri negotij li quali hauemo da far con uoi et trattalj con esso Imperatore secundo il Consilio uostro, per la qual cosa ui ricerchemo si como Amico et bono fratello à uolere prestare piena fede à esse nostro Oratore sopra le dittę cose le quale con pura fede como haueti fatto per auanti promouereti et hauereti per raccommandati noi et le cose nostre apresso ditto Imperatore secundo il desyderio nostro, il che si confidemo siati per fare et seremo disposti à remeritarui con gratitudine et amicabile animo. Datum Vienne al anno del nostro Signore Millecinquecento e Trentatre a li iiij de Aprile Alli Regni nostri Romani iij. et delli alteri vij./

Ferdinandus

B. Car[lis] Trid. A. Adler

*

XLVIII.

Schreiben des Hieronymus von Zara an König Ferdinand I.

Konstantinopel, 6. April 1533.

Aus einer Abschrift in dem zu Nr. X beschriebenen Hefte. Zu Seite 5. Dieser Abschrift, der letzten im genannten Hefte, ist ein Blättchen Papier beigebogen, worauf von der Hand Peters von Traù geschrieben steht: a di 25 Zugnio fo mandate letere a la Maesta del Re et a Monsignor Reuerendissimo per uia de rhagusi Schrise il Signor Cornelio per ambj doj.

Sacro et Potentissimo Re Signor Signor mio Gracciossissimo

Hauendo Vespasiano mio fiolo insieme con vno nuncio dil Serenissimo et Potentissimo Imperatore de Turchi, Assia, Greccia etc. con la espeditione mia a Vostra Maesta inuiato et benissimo instrutto dil negociare mio apresso sua Imperial Grandeza contractato la Pacce in nome de Vostra Sacra Maesta et dela Cæssarea et Catholica Maesta et sanctita del Summo Pontifice, secondo e la comissione mia da Vostra Maesta, e con mie letere per li confini de Vostra Maesta intimato et replichato como oratore per nome di quella per tre fiatte che tale Pacce debbiano tenere secondo li subditi di sua Imperial Grandeza contra li de Vostra Maesta teneranno, etiam per quatro mande mie letere persuaso dal Illustrissimo signor Hebrain Bassa per nome de sua Imperial Grandeza che uoglia scriuere et intimare a quelli che sonno alla Custodia di Corron che tale Pacce debiano tenere per fina el retorno del fiolo mio con la resolutione et hordine dela Cæssarea Maesta, la qual cossa persuadendoli ho fatto reseruate como Vostra Maesta per le copię de esse letere in questa inchiuse intendera et vedera per queste copię de sue letere quello me respondeno a quelle,

Premissa fidelium seruiciorum meorum humili recommendacione. Quamuis post illa que nuper Maiestati vestre significaueram denuo acceperim binis et ternis eciam literis ferme eadem nova confirmancia priora, quia tamen videbantur molestiam parere, nolui quidquam amplius de hisce negocijs ad Maiestatem vestram perscribere, cum spes sit iucundiora noua allaturos oratores Maiestatis vestre ex Constantinopoli, inter cetera tamen volui vel hec pauca ad Maiestatem vestram perferre quod continebatur in literis Cesaris Turcarum ad Iohannem se dedisse Gritti facultatem concordandi Maiestatem vestram cum eodem Iohanne, hortaturque ipsum, vt velit ad hoc animum inducere, cum Maiestate vestra concordandi, Dicebantur preterea esse allate litere eiusdem Cesaris Turcarum et Ybrayni Basse ad omnes Status Hungarie, quibus mandabant omnibus vt obedirent Iohanni, nam vellent eum in hoc Regno regnare etc. inobedientibus addebantur mine etc. Asserunt eciam et ipsum Gritti et alios commissarios Iohannis venturos huc Posonium, pro transigenda ista concordia etc. Qualiacunque ista sint Serenissime Rex, audio tamen passim divulgata esse et magnam in pleris inductam desperacionem qui sunt sub Maiestate vestra, Non putarem esse inconveniens, postquam eo ventum est, vt ad aliquam firmam concordiam et diuturnam accedendum sit, et agatur de statu huius Regni potissimum, quod Maiestas vestra consuleret super hoc negocio omnes suos subditos quorumcunque Regnorum et provinciarum, et isti quoque Hungari qui modo sunt sub dicione Maiestatis vestre, teneantur bene contenti atque et ipsi intelligant statum rerum suarum, ne tractando pacem incidamus in non sperata bella, Sed ista non sunt eiusmodi que literis tractari possint etc. Scio Maiestatem vestram Regem esse prudentissimum, qui singulis cauere et prospicere norit, ob id volo esse in hijs negocijs breuior, hoc vnum scio, si Iohanni (quod absit) relinquenda esset Hungaria, tantundem est, ac si ipse Turca illam haberet nisi adsit aliqua secretissima intel-

ligencia que tamen nescio an secreta esse possit etc. Cum hijs me gracie Maiestatis vestre humillime commendo, Posonij 4ta augusti A° 1533.

Ad paucissimos dies hinc cum gracia Maiestatis vestre cras aut altero die discedam, vereor enim ne post adventum oratorum Maiestatis vestre cogar longius abesse a negocijs domesticis, cum desint alioquin et sumptus, et nichil sit, quod hoc tempore hic tractari possit, ymo non est quod tractetur.

fidelis seruitor
Thurzo

LXXIV.

Schreiben König Ferdinands I. an Alexius Thurzó.

Wien, 7. August 1533.

Aus dem von Johann May abgefassten und niedergeschriebenen Concepte mit der Überschrift: Turzo, *im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive. Antwort auf Nr. LXXIII.*

Ferdinandus etc. Spectabilis et Magnifice fidelis dilecte, Ex literis tuis de 4ta huius gratiose intelleximus quę latius ad nos de pace nobiscum per Imperatorem Turcorum inita tibique aliunde communicata scribis, Quę si tu ijsdem ferme verbis quibus ad te (vndecunque etiam et communi quoque fama) perlata fuere nobis scripsisses, sic acciperemus, vt a fideli seduloque seruitore nostro relata, Eam vero diligentiam quam in ijs etiam modo de Aloisio Griti ceterisque significatis adhibuisti, nobis gratam esse eoque gratiorem nobis semper fore scias, quo vel communia vel secretiora qua soles fide et sedulitate perscripseris, et si quę ijs etiam quam ad presens scripsisti certiora cognoueris, nobis quoque mox et cum proprio (si opus sit) nuntio insinuaueris.

De eo vero quod Turcus Iohanni scripserit se Aloisio Griti dedisse facultatem ineundi et constituendi concordiam inter nos et Iohannem, Nos (prout antea in eandem ferme sententiam tibi rescripsimus) de ijs in presenti ac certo diffinire non possumus, nisi oratores nostri quos in horas adhuc expectamus, aduenerint, Interea vero huius admonitionis tuę memores, de toto eo quod post eorundem oratorum nostrorum aduentum et relationem fieri expedierit fideles regnorum et prouintiarum nostrarum subditos suo loco et tempore admonebimus, eosque nihil prorsus ea celabimus quę ad publicam et regni huius nostri Hungarie et eorum et aliorum omnium communem vtilitatem et tranquillitatem conducere posse videbuntur, Ex ea vero particula qua notatur Cesarem Turcorum hortari Iohannem vt ad concordiam nobiscum acceptandam animum suum inducere velit, cuiuis etiam si tardo modicoue sit iuditio, apparet, pacem illam Iohanni et suis parum fore gratam, postquam ad eam vel adeundam vel contrahendam induci debeat, cum vel ipsa natura dictante neminem ad hoc adduci oporteat, quod suapte libensque velit et amplectatur, sed tantum inuitos et obiecti spetiem declinantes, Quare non aliud adhuc (tam incerta presertim pacis relatione iam aliquoties ad te aliosque delata) nobis persuadere possumus, quam ea quę a prefatis oratoribus nostris ad nos perscripta vero-

que testimonio perlata vobis nuntiauimus, Istaque diuersa et contraria, quę aliunde ad vos perferuntur, esse aduersariorum studia et territamenta, quibus et vos et ceteros nobis affectos et addictos si possint alienare et in desperationem quasi pertrahere conentur.

Discessum tuum ad rem familiarem curandam si scilicet (vt ais) nulla sint negotia vrgentia quę tuam exigant pręsentiam sic admittimus vt ad omnem rerum occurrentiam semper vt decet, paratus existas, et eò mox venias quo te subinde proficisci iusserimus. Datum Viennę Septima Augusti 1533.

LXXV.

Schreiben des Hieronymus von Zara und Cornelius Schepper's an Peter Kruschitsch, Hauptmann von Klis.

Zara, 28. August 1533.

Aus einer Abschrift im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive. Da Kruschitsch's Name zwei der deutschen Sprache fremde Laute enthält, mag er hier zur Berichtigung auch mit kyrillischen Lettern gedruckt stehen: петар крꙋжич҃.

Magnifice Domine tanquam frater Honorande Cum ex Parte Serenissimi et Potentissimi Romanorum Hungarie et Bohemie etc. Regis Domini nostri Clementissimi firmam et stabilem Pacem cumcluserimus cum Magno Cesare turcarum, in qua exactissime continetur ut utriusque principis subditi ab omni violentia inuicem inferrenda omnimode abstineant, prout Dominatio vestra fortasse in parte informata esse potuit, licet non tam expresse, libenter per viam Spalatij venissemus ut Dominationi vestrę tanto melius ista indicaremus, presertim cum multe querele de Eadem Dominatione vestra a Turcis ad nos in itinere perlate sunt, tamquam si ipsa inducias istas quas Regia Maiestas seruari mandauit non bene obseruasset quod aliter esse credimus, de fidelitate et obedientia Dominationis vestre erga Regiam Maiestatem plene confidentes. Verum quum per prefatam viam uenire non potuerimus, uoluimus hec breuiter ad Dominationem vestram scribere, quo certissime sit informata de conclusione ipsa pacis realiter facta, simul eam admonere, ut nullo modo patiatur suos contra Turcas aliquid attentare, omni cautela et excusatione semota, quia si aliquid tale accideret magnum inconueniens posset Regię Maiestati obuenire cuius culpam a se Dominatio vestra ut de nobis prępmonita et sufficienter de pace cercior facta amouere non posset quam foeliciter valere optamus, Quedam portitori Harum familiari Dominationis vestrę Eidem dicenda comisimus, in quibus illi fidem adhibeat, Datum Iadre 28 mensis Augusti 1533

LXXVI.

Schreiben Derselben an König Ferdinand I.

Buccari, 31. August 1533.

Aus dem von Peter von Traù geschriebenen und von den Gesandten unterzeichneten Originale im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive.

Sacre Regię Magestati Rhomanorum Hungarię et Bohemię etc. Domino nostro Clementissimo

Die einem über rothes Wachs gebreitetem Papierstreifen aufgedrückten zwei Siegel zeigen die Wappen der Gesandten.

Sacratissima Regia Magestas Domine Domine Clementissime

Quod ad nos attinuit nihil diligentię opereueque intermisimus quo ad Sacram Magestatem vestram Regiam properaremus, Sed in hoc itinere inter non nulla incommoda hoc accidit quod neque primo neque octauo Iulij die quo nos abituros rebamur, atque ita ad Magestatem vestram scripsimus, discessimus, sed decimo sexto demum die, atque ita per loca Pestilentię plena (sic enim Deus Asiam Europamque hac estate uisitat, eam quę nunc in Natolię concessit nomen) profecti cum per Bossinam iter facere destinaremus urgentibus aliquot occasionibus, iter seorsum fleximus ad mare, laboriosoque et periculoso itinere hodie huc ad Bucharum Castrum mane uenimus premisso qui nos aduenire indicaret pedite ad oppidum Magestatis vestre Sancti Viti ad Flumen, Eoque nuncio exposito ad radices montium, Equos autem nostros familiam et sarcinas hic expectamus quas retro dimisimus, ipsi nos committentes fragili cymbę actuarię quę nos fere perdidit, sed Deo laus euasimus hac nocte, Alter nostrum Hieronymus scilicet febre quartana dupla laborauit aliquot diebus non citra periculum, et adhuc laborat, Neque tamen illum egritudo impedire poterit quo minus ad Magestatem vestram contendamus ubi primum Equi familiaresque aduenerint quos de hora in horam deque die in diem expectamus.

Quum apud Iaderam Dalmatię uenissemus, aduenit triremis Venetorum quę ex Coronę venit. Ea nunciauit sexta die Augusti classem Karoli Cæsaris in qua erant .24. triremes, tres biremes, tringinta tres naues onerarię, uenisse prope Coronem in eamque vrbem ui intrasse. Cum Thurcarum Classis puppes in terram flexisset et ex proris iaculata esset in fundum biremem vnam nostram, cumque duę onerarię prefatę Classis Karoli Cæsaris sęrius iter facerent, circumfusas Thurcarum triremes occupasse ex illis alteram, alteram etiam pro parte, id sentientem Andream de Auria cum triremibus redijsse, recuperasseque ex hostibus et perditam et semiperditam in qua ceciderunt trecenti Thurcę: Octaua autem die Augusti, cum iam Sanzachus Moreę qui terrestri obsidioni ad Coronem preerat uidisset auxilium immissum esse, soluisse obsidium, contra quem Hispani profecti, magna edita cede, duos Canonos interceperint reliquum autem exercitum profligarint, plura scribere non est opportunum quia venturi sumus: Sed quę de Corone sunt

vera sunt, Et omnino Magestas vestra sibi persuadere potest nos ea quę Eidem sunt grata adlaturos, Nos eidem humillime commendantes:

Ex Bucharo Castro Die vltimo mensis Augusti Anno Domini M.D. xxxiij:

Eiusdem sacrę vestrę Regię Maiestatis

Humillimi seruitores
Ieronimus de Zara
Cornelius Duplicius Scepperus

LXXVII.

Schreiben König Ferdinands I. an Alexius Thurzó.

Wien, 15. September 1533.

Aus dem Concepte Johann May's mit der Überschrift: Turzo, *im k. k. geh. Haus-Archive.*

Ferdinandus etc. Spectabilis et Magnifice fidelis dilecte. Ex literis tuis de 8 huius vidimus quę de Petro Pereni scribis legimus etiam annexas literarum Sirmiensis Lasci et Ludouici Griti copias tuis inclusas ad quas vt prolixiores respondendo simus non visum est nobis operępretium cum ex ijsdem manifeste colligatur res nostras et quę nuper de pace sparsim incerto rumore circumferebantur aliter habere quam vulgo fuerit iactatum,

Quod ad offitium Locumtenentie attinet Non te pigeat uel nostri gratia tuę ipsius in nos æquanimitati hoc ipsum adhuc concedere, quod scis immotæ in nos fidei tuæ congruere, Cum te tibimet potius quam huic in nos offitio tuo deesse posse confidamus, Vtprimum enim Oratores nostri quos de momento in momentum expectamus redierint te vocabimus, tuoque et aliorum fidelium nostrorum accedente consilio finalem de rebus omnibus regni huius nostri ac tuis faciemus ordinem et conclusionem, sic vt te in hoc etiam vt in ceteris nostre requisitioni acquieuisse minime tedeat, aut peniteat, Nam et ipse nosti de rebus istis tam efficaciter et resolute tractari ac diffiniri non bene posse priusquam singula pacis et aliorum capitula certa Oratorum declaratione fuerint intellecta,

Preterea rem valde gratam nobis facies si quo modo scis et potes meliori Petrum Pereni per tempus aliquot ab instituto per eum tractatu cum Aloisio Gritti ceterisque aduersarijs ineundo retraxeris et ita confortaueris vt aliquantisper adhuc quiescat et tractationem ac determinationem effectualem quam superinde in eorundem Oratorum nostrorum reditu faciemus expectet,

Nec alienum erit si et ipsum Ludouicum Peukri a vesano illius conatu represseris nosque latius quid superinde per nos sit agendum de tuo consilio et opinione commonefeceris Nostram in eo benegratam executurus voluntatem Datum Viennę 15 7^{bris} 1533.

LXXVIII.

Schreiben Desselben an Denselben.

Wien, 18. September 1533.

Aus dem Concepte Johann May's mit der Überschrift: Turzo, *im k. k. geh. Haus-Archive.*

Ferdinandus etc. Spectabilis et Magnifice fidelis dilecte. Ex literis tuis de 15 huius accepimus quę de Oratoribus nostris redeuntibus et Conuentu militarium ac aliorum scripsisti, Et secundum opinionem tuam illis particulariter scripsimus sicut ex inclusis copijs cognosces, Te propterea requirentes vt postquam ijdem Oratores ad diem sabbati vel dominicum iamproxime futurum se apud nos infallanter hic sperant esse futuros, Tu quoque mox et euestigio huc ad nos accedas et quantum potes acceleres vt ad feriam tertiam proxime abhinc futuram omnino et indubie hic apud nos constituaris et neutiquam te absentes, auditurus ea quę iamdicti Oratores referent et nos superinde pro nostro et totius regni istius nostri commodo et salute cum tuo et aliorum quos vocauimus fidelium nostrorum consilio latius statuemus et ordinabimus nostram in ijs omnimodam et seriosam executurus voluntatem Datum Viennę 18 7^{bris} 1533.

LXXIX.

Schreiben Desselben an Thomas Szalaházy.

Wien, 18. September 1533.

Aus dem Concepte Johann May's mit der Überschrift: Agriensi, *und der Nachschrift:* In simili ad militares et alios mutatis mutandis, *im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive.*

Ferdinandus etc. Reuerende deuote fidelis dilecte. Ex literis Oratorum nostrorum ab Imperatore Turcorum redeuntium ad nos ex Labaco datis intelleximus eos die sabbati aut ad summum dominica proxime ventura certo et infallanter apud nos esse futuros, nobisque seriatim et ad longum relaturos quę de pace per nos cum eodem Imperatore suscepta egerunt, Et quoniam æquum et rationabile esse iudicamus ea quę totius regni istius nostri quietem et pacificationem attinent fideles etiam nostros intelligere et nos illa cum eisdem quorum pręcipue interest conferre et communicare participatoque cum eis consilio ea superinde statuere et ordinare quę non solum in nostram et eiusdem regni euidentem et perpetuam vtilitatem et stabilimentum pacis illius conducere sed et in vniuersorum eiusdem fidelium incolarum et subditorum commodum redundare possint, Idcirco fidelitati tuę strictissime committimus et mandamus, vt mox receptis presentibus omni qua potes celeritate ad nos huc Viennam accedas ita quod ad diem Martis seu feria tertia proxime ventura certissime et indubie apud nos hic constituaris et nullo pacto te absentes aut aliqua re quantumuis ardua te impediri vel auocari sinas, Imo non solum ipse venias verum et omni cum efficacia tractes et agas quo et alios vel militares vel alte-

rius cuiuscunque ordinis ad nos huc recta proficiscendum permoueas et inducas seu ad hoc inducere et persuadere studeas nullique prorsus opere aut diligentie in hoc parcas, Vtprimum enim iamdicti Oratores nostri venerint cum ijs quę pro regni istius salute et necessitate super relatis eorum latius tractanda erunt cum regni istius nostri detrimento tardare aut longius expectare non poterimus Sicut ipse pro tua prudentia perpendere potes Nostram in ijs omnibus seriosam et omnimodam executurus voluntatem Datum Viennę 18 7^{bris} 1533.

LXXX.

Schreiben Desselben an Ladislaus More.

Wien, 18. September 1533.

Aus dem Concepte Johann May's mit der Überschrift: Ladislao More, *im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive.*

Ferdinandus etc. Magnifice fidelis dilecte. Ex literis Oratorum nostrorum ab Imperatore Turcorum redeuntium ad nos ex Labaco datis intelleximus eos die sabbati aut ad summum dominica proxime ventura certo et infallanter apud nos esse futuros, nobisque seriatim et ad longum relaturos quę de pace per nos cum eodem Imperatore suscepta egerunt, Et quoniam æquum et rationabile esse iudicamus ea quę totius regni istius nostri quietem et pacificationem attinent fideles etiam nostros intelligere, et nos illa cum eisdem quorum pręcipue interest conferre et communicare, participatoque cum eis consilio ea superinde statuere et ordinare quę non solum in nostram et eiusdem regni euidentem et perpetuam vtilitatem et stabilimentum pacis illius conducere sed et in vniuersorum fidelium regnicolarum et subditorum nostrorum commodum redundare possint, Idcirco fidelitati tuę strictissime committimus et mandamus vt mox receptis presentibus omni qua potes celeritate ad nos huc Viennam accedas ita quod ad diem Martis seu feria tertia proxime ventura certissime et indubie apud nos hic constituaris et nihilominus interea gentes tuas in bono ordine et dispositione retineas et conserues teque nullo pacto absentes vel aliqua re quantumuis ardua te impediri vel auocari sinas, Vtprimum enim iamdicti Oratores venerint cum ijs quę pro regni istius salute et necessitate super relatis illorum latius tractanda erunt tardare aut cum regni istius incommodo longius expectare non poterimus Sicut ipse cogitare potes Nostram in ijs seriosam et omnimodam executurus voluntatem Datum Viennę 18 7^{bris} 1533.

In simili ad

Magnifice	Valentinum Tereck
Egregie	Ludouicum Pewkri
Egregie	Paulum Bakith
Magnifice	Caspari Horwath

LXXXI.

Schreiben Desselben an seine Schwester Maria.

Wien, 25. September 1533.

Aus dem Originale wie Nr. LXI. im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive. Adresse und Siegel wie bei Nr. LXXII.

Madame ma bonne seur/. Cestes seront seullement pour vous faire part de la venue de mes ambassadeurs reuenans de turquie/ lesquelz arriuerent icy le xxj^e^ de ce present mois auec assez bonne depesche/ Et pource que en brief ie depescheray Cornille scepperus deuers lempereur monseigneur/ lequel passera pardeuers vous/ pour vous informer et faire part de tout entierement leur besongne et des particularitez du traicte de paix quilz ont conclud avec le turc/ ie me remectray iusques a sa venue deuers vous que lors entendrez le tout/ Aussi madame vous auertis comme ma femme ce iourdhuy entre quatre et cinq heures du matin est delivree dune fille/ Et sont graces a dieu la mere et la fille en tresbonne sante et disposicion/ Iescriptz et auertis par les lectres qui vont auec cestes a lempereur monseigneur du mesmes que dessus/ vous priant madame luy vouloir incontinent faire tenir icelles/ Et au createur qui madame ma bonne seur vous doint bonne vie et longue/ De vienne ce xxv^e^ de septembre 1533 madame iay receu vgne letre de vostre main ier a laquelle respondray par ledit cornelio iespere que en peu de iours vous dresara salinas des arbaletres despagne pour les mes fere anuoier ie vous suplie les me fere dresier tost et surement car iay bien a fere

vostre vray bon frere
ferdinand

LXXXII.

Entwurf des an die nach Wien berufenen ungrischen Herren über den geschlossenen Frieden gehaltenen Vortrags.

Aus dem von Bernhard von Cles corrigirten Concepte Johann May's im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive. Die zweite Hälfte des dritten Punctes hatte früher also gelautet: Similiter si propter metas et confinia forte aliqua differentia inter Maiestatem suam ac Imperatorem Turcorum et Iohannem eueniret, vt talem differentiam cum vniuscuiusque partis assensu dirimat et componat. *Der letzte Abschnitt:* Cogitat etiam etc. *ist durchstrichen. Auf der Rückseite steht von der Hand Johann May's:* Quę nomine Maiestatis Regię etc. Hungaris qui ad eam nunc venerunt proponi debent; *und von einer andern:* 209. *Die mit Cursivlettern gedruckten Stellen sind Zusätze Bernhards von Cles.*

Sacra Regia Romanorum etc. Maiestas Dominus noster Clementissimus, nuper cum Oratores Maiestatis suę ab Imperatore Turcorum redeuntes eiusdem Maiestatis suę confinia attigissent, eorum reditum pariter et ea quę de pace cum bona spe et consolatione ex literis eorum acceperat, vobis significauit, Ea quidem mente et intentione, quod Maiestas sua vos de eo edocere et informare et ad se (prout iam factum est) vocare vellet, Vocatio Intimatio

*

atque ideo Maiestati suę placet et gratum est, vos velut obedientes coram Maiestate sua nunc comparuisse.

Pax *et omnia quæ possidet*

Inprimis ergo vobis cum gratia notificat, iamdictos Oratores perpetuam Pacem cum Imperatore Turcorum inijsse et conclusisse, Quę inter cætera continet, Quod omnia ea Sacra Maiestas sua Regia pacifice et quiete possidere debeat, quæ tempore conclusę pacis in manibus Maiestatis suę fuere.

Regina Maria *habeat omnia bona sua nec Iohannes eam impediet*

Secundo, Quod Serenissimę Principi Dominę Marię Reginę Hungarię et Bohemię Viduę, Maiestatis suę Sorori, plene et integre remaneant omnia ea, quę illi nomine dotis et dotalitij in regno Hungarie sunt deputata et inscripta, Et quod ipsa in possessione illorum nec a Iohanne Comite Scepusiense nec a suis quoquomodo turbari vel impediri debeat, Id quod eidem Iohanni ex spetiali commissione Cæsaris Turcorum per Aloisium Gritti iam seriose iniungeretur et mandaretur.

A. Gritti venturus ad Regem

Tertio, Quod idem Gritti ad Maiestatem suam venire, et cum ea de pace et condependentijs eiusdem rebusque alijs pro euidenti bono dominiorum et fidelium Maiestatis suę latius agere et tractare debeat, Similiter differentiam quæ est inter Maiestatem suam et Iohannem cum vniuscuiusque partis assensu dirimat et componat.

Metæ et confinia

Publicatio pacis per Turcam

Super quibus Imperator Turcorum hanc pacem in omnibus locis terris et districtibus suis vbique publicari et denuntiari fecit, Quam et se firmiter et efficaciter obseruaturum esse iurauit.

Publicatio per Regem *negociari hinc inde possent*

Quam quidem pacem sua quoque Regia Maiestas inpręsentiarum hic etiam publicari et proclamari iussit, Eandem omnium Confinium et locorum suorum Capitaneis denuntiatura, ita vt vnaquęque pars vigore pacis istius alteram libere et secure accedere, et cum ea agere et negotiari valeat, absque aliquo impedimento.

Tempus et locus conuentus Regis et Gritti *et cum eo tractabuntur quæ sunt in honorem et commodum*

Et quoniam ipse Gritti super hac pace conclusa, secundum factam inter Oratores illos et ipsum Gritti conuentionem, expectat vlteriorem mentem et resolutionem Maiestatis Regię, Deliberauit itaque Maiestas sua Regia eidem Gritti quamprimum significare et constituere tempus et locum vbi et quando ad eam venire debeat. Quo facto, Maiestas sua Regia omnia ea cum ipso tractabit, quę in benefitium et commodum vniuersorum dominiorum et fidelium Maiestatis suę facere et conducere videbuntur. *In quo vos etiam præsentes eritis et totum id cum consilio et interventu vestro agetur.*

Expeditio Catzianer *vt fideles intertenentur expeditio ista non erit contraria paci quin etc.*

Nihilominus autem interea Maiestas sua Regia dominum Iohannem Catzianer Supremum Maiestatis suę Capitaneum iuxta deliberationem antea factam et conclusam cum aliquo gentium numero ad singularem spem et consolationem maiorem fidelium suorum expediet, Sicut et nunc Maiestas sua facit et in præparatione omnium necessariorum tota est intenta et occupata, ad effectum retinendi et conseruandi totum id quod Maiestati suę Regię spectare et pertinere dignoscitur, Quemadmodum in hac ipsa etiam pace continetur, et ex ea sic facere licet, vt si quid Iohannes antedictus (quamuis a Maiestate Regia nihil ad hoc prouocatus neque amodo prouocandus) vel vi vel arte et studio contra pacem attentare velit, sua quoque Maiestas sibi competenter et tempestiue resistere possit, Quę quidem expeditio bellica huic paci per Maiestatem Regiam cum Cęsare Turcorum initę et contractę in nullo est contraria, sed potius ad efficaciorem omnium sic

conclusorum executionem et conseruationem instituta. Quocirca Maiestas sua Regia vos omnes gratiose requirit, vt vos quoque pro parte vestra præsentem pacem obseruare et custodire eamque vestris etiam notificare et publicare debeatis, neque quicquam per vos et vestros aduersus eam fieri permittatis, ad præcauenda scilicet damna et incommoda, quæ, si secus fiat, non vobis tantum verum vniuersis fidelibus et dominijs Maiestatis suę possunt euenire.

Adhortatio ad pacis conseruacionem

Cogitat etiam Maiestas sua Regia super ijs omnibus tempore oportuno vobiscum tractare et deliberare, quę latius pro communi bono dominiorum et fidelium suorum necessaria et accomoda esse poterunt, Et hęc modo recensita Maiestas sua vobis pro initio duntaxat tractationis donec vlteriora subsequantur, clementer et benigne intimare voluit.

Peroratio, lacius postea de singulis Maiestas sua cum eijs tractabit

de coron
responsio comissariorum

LXXXIII.

Bekanntmachung des Friedens in Krain.

Wien, 1. October 1533.

Aus dem Concepte Andreas Adler's im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive.

Wir Ferdinannd ꝛc. Embieten .n. allen vnd yeden vnsern Fursten geistlichen vnd weltlichen Prelaten Grauen Freyen Herren Rittern vnd Knechten, Landshaubtleuten Haubtleuten Verwesern Vicztomen Phlegern Ambtleuten Burgermaistern Landtrichtern Richtern Burgern Gemainden vnd sonst allen andern vnsern vnd vnsers furstenthumb Crain Vnderthanen vnd Inwonern vnd sonderlich denen die in vnserñ ortflekhen vnd sonst an den grenitzen gegen den turgken sitzen vnd wonhafft sein, haubtmanschafft phleg ambter oder verwaltung haben, in was wirden stand oder wesen die sein, denen diser vnser brief oder glaubwirdig abschrifft dauon, zůsehen, zůhören oder sonst zůwissen wirdet, vnser gnad vnd alles guts, Vnnd geben Euch genédigclich zůerkhennen, Nachdem wir ein zeit her vnsern landen vnd leuten zu ruee vnd sicherhait bei dem Turgkischen kaiser vmb friden anlangen vnnd handlen lassen, das gemelter Turgkisch kaiser yczo sólhen friden mit vns allen vnsern lannden vnd leẃten verwilligt vnnd wir durch vnser Oratores so wir deshalb bej Im gehabt, vnd die ycz wider bei vns ankumen sein, mit Ime auf ewig angenomen, beslossen vnnd auch bestättigt haben, Damit nun sólher friden gegen gemellten Turgkischen kaiser vnnd allen seinen vnderthanen zuegehorigen vnd landen, wie billich, gehalten vnd volzogen, vnd nit vrsach zu ainichen neẃen widerwillen, zwitracht oder vnruee gegeben werd, So beuelhen wir Eẃ allen vnd eur yedem sonderlich hiemit ernstlich vnd wellen, das Jr bemellten friden nun hinfur gegen den turgken an allen orten halltet, nachperlich beiwonet, vnd nymands ainichen schaden oder beswérd zuefueget, noch Jr land vnd gegenden veindtlich oder rawblich mit grossen noch klainen zugen angreiffet, nit einfallet noch

beschediget, noch in ainich ander weg oder weis wie es namen haben möcht betruebet, sonder gantz ruewig vnd fridlich lebet, vnd in keinen weg dawider thuet, angesehen das durch solhen friden ain yetweder zu dem andern frey vnd one sorg hin vnd wider wandlen handlen handthierung vnd kauffmanschafft treiben soll vnd mag, Dann wo ainer oder mer von Ew solhes nit hallten vnd sich vngehorsam erzaigen wollt oder wurd, vnd mit dem wenigisten gegen den Turgken oder auf Ire land gegenten vnd grundt angriff einfaal oder beschedigung thun oder vndersteen vnd begeen wurd, gegen dem oder denselbigen wellen wir nach allen vngnaden mit straff leibs lebens vnd guts verfaren vnd handlen lassen, Wir haben auch deshalben vnsern haubtleuten verwesern vnd ambtleuten beuolhen vnd mit ernst aufgelegt das Sy Ir vleissig achtung vnd aufsehen in solhem haben, vnd wo Sy ichtes von ymands wer der sej erfaren wurden gegen demselben ernstliche straff an leib leben vnd gut furnemen vnd niemands verschonen vnd also einsehen thun sollen, das abgenomen werden mug, wir ein vngefallen tragen, das vnsern beuelhen vnd gepoten nit sollt gehorsamlich gelebt werden, vnd auch der Turgkisch kaiser erkhennen mug, wir den friden angenomen, denselben zůhallten gentzlich entflossen, vnd so dawider gehandlt wurd, das mit ernst zůstraffen willen haben, Das wollten wir Ew allen vnd eur yeden hiemit genediger mainung angezaigt vnd zůwissen thun wellen, das Ir euch disem vnsern gepot gehorsamlich zůhallten vnd vor schaden nachtail vnd straff zůuerhuetten hett, Vnd Ir thut an sölh allem vnsern gantz ernstlichen willen vnd mainung, Geben Wienn prima Octobris Anno rc. xxxiij.

LXXXIV.

Schreiben König Ferdinands I. an Peter Keglewitsch Statthalter von Dalmatien, Kroatien und Slawonien.

Wien, 11. October 1533.

Aus dem Concepte Johann May's mit der Überschrift: Keglowich, *im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive. Der Name Keglewitsch's mag zur Berichtigung auch mit kyrillischen Lettern gedruckt hier stehen:* петар кеглевиħ.

Ferdinandus etc. Magnifice fidelis dilecte. Annexa edicta nostra quibus pacem perpetuam per Nos cum Imperatore Turcorum initam et firmatam denuntiamus et publicamus tibi mittimus sicut videbis. Tuę propterea fidelitati strictissime committentes vt illa in locis debitis et congruis per regna ista nostra vbique proclamari legi et publicari facias omnique studio cures pacem hanc iuxta edictorum huiusmodi formam et continentiam ab omnibus inuiolabiliter obseruari, ac in transgressores si qui fuerint merita pena in eisdem edictis declarata et expressa procedi et animaduerti Secus sub obtentu gratie nostre minime facturus Datum Viennę xj 8bris 1533.

LXXXV.

Bekanntmachung des Friedens an den Gränzen.

Wien, 11. October 1533.

Aus dem von Johann May corrigirten Concepte der von Adam Carl, kön. Secretär, nach dem unter Nr. LXXXIII abgedruckten deutschen Entwurfe Andreas Adler's gemachten Übersetzung mit der Überschrift: Publicatio pacis in Confinibus facta, *und der Nachschrift:* In simili 3, *im k. k. geh. Haus-Hof- und Staats-Archive. War auch vom* 1. *October datirt, aber May corrigirte den eilften hinein.*

Ferdinandus etc. Vniuersis et singulis Principibus tam Ecclesiasticis quam secularibus, Prelatis, Dominis, Comitibus, Baronibus, Militibus, Nobilibus et Ignobilibus, Clientibus, Capitaneis, Locumtenentibus, Vicedominis, Prefectis, Castellanis, Offitialibus, Magistris Ciuium, Iudicibus Nobilium ac Iuratis, Vicecomitibus, Consulibus, Ciuibus, Communitatibus vrbium, oppidorum et locorum alijsque omnibus Regnorum, Dominiorum et Prouintiarum nostrarum hereditariarum Subditis, Incolis et Inhabitatoribus quibuscunque, et precipue ijs, qui Regnorum nostrorum Hungarie, Dalmatie, Croatie et Sclauonie confinibus et locis Turcarum patrias respicientibus et oppositis sunt constituti, aut Magistratus Prefecturas seu alia id genus Munia et Offitia qualiacunque gerunt et administrant, cuiuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis aut preeminentię existant, qui per presentes literas nostras aut earum fidedignum Exemplum requisiti fuerint, Gratiam Regiam et omne bonum, Significamus vobis Cesarem Turcarum ad tractationem nostram penes eum pro communi quiete salute et securitate vniuersorum Dominiorum et fidelium subditorum nostrorum interpositam, pacem perpetuam nobiscum omnibusque Regnis, Patrijs et Dominijs nostris, medio Oratorum nostrorum ad Cesarem illum destinatorum et ad nos modo reuersorum inijsse et acceptasse, Nosque illam confirmasse, Vt ergo pax illa sic a nobis inita et confirmata erga iamdictum Turcarum Imperatorem et vniuersos subditos et homines suę potestati et ditioni subiectos et patrias firmiter et efficaciter, vti conuenit, obseruetur et teneatur, neque vlla prorsus dissensionis alicuius noue aut discordie seu controuersię prebeatur occasio, vobis idcirco omnibus et singulis ac fidelitati vestre et cuiuslibet vestrum harum serie districte precipiendo mandamus et volumus vt talem pacem dehinc erga Turcas vbique locorum inuiolabiliter obseruetis et cum eisdem in bona vicinitate cohabitetis, neque alicui damnum seu incommodum aliquod inferre nec prouintias regiones aut confinia illorum hostiliter aut predandi causa vel magno vel paruo Gentium numero aut excursu adoriri, inuadere, occupare, molestare vel offendere quomodocunque presumatis, sed omnino pacifici et quieti stare et manere debeatis, Eo scilicet attento quod hac pace durante omnes et singuli tam nostri quam Turcarum Cesaris subditi libere et secure et absque aliquo periculo ad se vltro citroque proficisci commeare tractare et negotiari ac mutua commertia exercere possint et valeant, Quod si vero aliquis aut aliqui plures vel pauciores ex vobis hoc Publicationis et Decreti nostri Edictum excedere seque inobedientem exhibere, vel in minimo contrauenire, ac Thurcas eorumque Regiones et Loca per incursiones et damna

et similia quecunque contraria lędere vel offendere presumpserint, talem et tales, non solum indignationem nostram grauissimam, verum etiam capitis et vitę penam ac bonorum omnium amissionem eo ipso incurrisse denuntiamus et decernimus, Atque ideo vniuersis Capitaneis Locumtenentibus Prefectis et Offitialibus nostris strictissime precepimus et mandauimus, vt quam possunt diligentissimam aduertentiam et inquisitionem in his adhibeant, Et si aliquem, quicunque is aut cuiuscunque status seu ordinis fuerit, reperiant huic nostro Regio Mandato contrafacientem aut non obtemperantem eundem predicta capitis et vitę mulcta sine vllo respectu plectant et puniant bonis ad fiscum nostrum Regium deuolutis et publicatis, Omnemque prouisionem cum effectu faciant et fieri curent, vt non modo manifeste constare possit nos grauiter et permoleste laturos quicquid in contrarium fuerit attentatum, sed Turcarum etiam Cesar liquido cognoscere et sentire possit nos susceptam cum eo pacem recte et inconcusse seruare et in quoscunque transgressores grauiter animaduertere, Quod vos omnes et singulos impresentiarum scire vosque premonere ea ratione voluimus vt huic Edicto nostro obedire et obtemperare simul et indignationem nostram ac penam predictam in contrafacientes statutam et ferendam cauere et euitare valeatis, Nostram in his omnibus seriosam et omnimodam executuri voluntatem, Datum Viennę xj Octobris 1533.

Inhalt.

Seite

Bericht des Hieronymus von Zara und des Cornelius Duplicius Schepper an König Ferdinand I. Wien, 27. September 1533 1

Schreiben König Ferdinands I. an seine Schwester Maria, verwitwete Königin von Ungern und Böhmen und Statthalterin der Niederlande. Wien, 2. October 1532 51

Schreiben Desselben an Dieselbe. Villach, 21. October 1532 52

Schreiben Desselben an Dieselbe. Innsbruck, 31. October 1532 54

Auszug aus der Instruction König Ferdinands I. für Hieronymus von Zara 55

Schreiben König Ferdinands I. an seine Schwester Maria. Innsbruck, 20. November 1532 . . . 56

Schreiben Desselben an Dieselbe. Innsbruck, 24. November 1532 . . . . . —

Schreiben des Hieronymus von Zara an Wilhelm von Rogendorf, Obersthofmeister König Ferdinands I. Ragusa, 26. November 1532 58

Schreiben König Ferdinands I. an seine Schwester Maria. Innsbruck, 25. December 1532 . . . 59

Schreiben Desselben an Dieselbe. Innsbruck, 17. Jäner 1533 61

Schreiben des Hieronymus von Zara an die Hauptleute der Besatzung von Koron. Konstantinopel, 20. Jäner 1533 62

Schreiben Desselben an König Ferdinand I. Konstantinopel, 21. Jäner 1533 63

Schreiben Desselben an Bernhard von Cles, Fürstbischof von Trient und Kanzler König Ferdinands I. Konstantinopel, 21. Jäner 1533 64

Schreiben Desselben an Johann Katzianer, Landeshauptmann in Krain. Konstantinopel, 21. Jäner 1533 65

Schreiben Desselben an die niederösterreichische Regierung. Konstantinopel, 21. Jäner 1533 . . . 66

Schreiben Desselben an Thomas de Lazcano, Hauptmann von Gran. Konstantinopel, 21. Jäner 1533 . 68

Schreiben Desselben an Johann Rizan, Vicehauptmann von Fiume. Konstantinopel, 24. Jäner 1533 . 69

Schreiben König Ferdinands I. an seine Schwester Maria. Linz, 8. Februar 1533 . . . . . —

Schreiben des Hieronymus von Zara an die niederösterreichische Regierung. Konstantinopel, 11. Februar 1533 71

Schreiben Desselben an Johann Katzianer. Konstantinopel, 11. Februar 1533 72

Schreiben Desselben an Thomas de Lazcano. Konstantinopel, 11. Februar 1533 73

Schreiben Desselben an Franz von Batthyán, Ban von Dalmatien, Kroatien und Slawonien, und Ludwig Pekry von Petrowina, Landeshauptmann in Slawonien. Konstantinopel, 11. Februar 1533 . 74

Schreiben Desselben an die Hauptleute der Besatzung von Koron. Konstantinopel, 11. Februar 1533 . 75

Schreiben Desselben an Andreas Doria, Admiral Kaiser Karls V. Konstantinopel, 11. Februar 1533 . 76

Schreiben der Hauptleute der Besatzung von Koron an Hieronymus von Zara. Koron, 15. Februar 1533 77

Schreiben König Ferdinands I. an seine Schwester Maria. Linz, 20. Februar 1533 78

Schreiben des Hieronymus von Zara an die Hauptleute der Besatzung von Koron. Konstantinopel, 28. Februar 1533 79

Schreiben Desselben an die Capitäne der in See befindlichen kaiserlichen und päpstlichen Kriegsschiffe. Konstantinopel, 28. Februar 1533 80

Schreiben Desselben an König Ferdinand I. Konstantinopel, 4. März 1533 81

Schreiben Desselben an Bernhard von Cles. Konstantinopel, 5. März 1533 83

Schreiben der zur Friedensunterhandlung mit Johann von Zápolya nach Presburg gesandten deutschen Commissäre König Ferdinands I. an Diesen. Presburg, 5. März 1533 84

Schreiben der nach Presburg gesandten deutschen, ungrischen, böhmischen und mährischen Commissäre an König Ferdinand I. Presburg, 6. März 1533 85

Schreiben König Ferdinands I. an seine nach Presburg gesandten deutschen Commissäre. Linz, 7. März 1533 88

Schreiben der nach Presburg gesandten deutschen, ungrischen, böhmischen und mährischen Commissäre an König Ferdinand I. Presburg, 8. März 1533 90

Schreiben Alexius Thurzó's an König Ferdinand I. Presburg, 8. März 1533 91

Schreiben König Ferdinands I. an seine nach Presburg gesandten Commissäre. Linz, 8. März 1533 . 92

Schreiben Desselben an seine Schwester Maria. Linz, 9. März 1533 95

Schreiben der nach Presburg gesandten deutschen, ungrischen, böhmischen und mährischen Commissäre an König Ferdinand I. Presburg, 11. März 1533 96

Schreiben der nach Presburg gesandten deutschen, ungrischen und böhmischen Commissäre an König Ferdinand I. Presburg, 12. März 1533 97

Seite

Schreiben Wilhelms von Rogendorf an die Statthalterin Maria. Linz, 12. *März* 1533 98
Schreiben der Hauptleute der Besatzung von Koron an Hieronymus von Zara. Koron, 12. *März* 1533 . 100
Schreiben König Ferdinands I. an seine Schwester Maria. Wien, 22. *März* 1533 . . . . . —
Aeusserung der nach Wien berufenen ungrischen Herren über die ihnen auf Befehl König Ferdinands I. vorgetragenen Friedensbedingungen. Wien, 22.—29. *März* 1533 101
Schreiben Kaiser Karls V. an Sultan Suleiman I. Alessandria, 26. *März* 1533 106
Schreiben des Hieronymus von Zara an die Hauptleute der Besatzung von Koron. Konstantinopel, 3. *April* 1533 107
Vollmacht König Ferdinands I. für Cornelius Duplicius Schepper. Wien, 5. *April* 1533 108
Neues Beglaubigungsschreiben König Ferdinands I. für Hieronymus von Zara an Sultan Suleiman I. Wien, 4. *April* 1533 110
Neues Beglaubigungsschreiben Desselben für Denselben an den Grosswefir Ibrahim. Wien, 4. *April* 1533 111
Schreiben des Hieronymus von Zara an König Ferdinand I. Konstantinopel, 6. *April* 1533 . . . 112
Schreiben König Ferdinands I. an Hieronymus von Zara, zugleich Instruction für Denselben und Cornelius Duplicius Schepper. Wien, 7. *April* 1533 114
Schreiben König Ferdinands I. an Vespasian von Zara. Wien, 7. *April* 1533 119
Schreiben Desselben an Denselben. Wien, 7. *April* 1533 120
Schreiben Desselben an seine Schwester Maria. Wien, 18. *April* 1533 121
Schreiben Desselben an Dieselbe. Wien, 24. *April* 1533 . . . . . —
Schreiben Vespasians von Zara an König Ferdinand I. Fiume, 28. *April* 1533 123
Schreiben Cornelius Duplicius Schepper's an König Ferdinand I. Fiume, 28. *April* 1533 . . . 124
Schreiben Desselben an Denselben. Fiume, 28. *April* 1533 125
Schreiben Desselben an Denselben. Fiume, 29. *April* 1533 126
Schreiben Desselben an Denselben. Gabella, 6. *Mai* 1533 127
Schreiben König Ferdinands I. an Hieronymus von Zara. Wien, 11. *Mai* 1533 . . . . . —
Schreiben Desselben an seine Schwester Maria. Wien, 18. *Mai* 1533 128
Schreiben Desselben an Dieselbe. Wien, 24. *Mai* 1533 130
Schreiben Kaiser Karls V. an Cornelius Duplicius Schepper. Barcelona, 30. *Mai* 1533 131
Schreiben König Ferdinands I. an Hieronymus von Zara und Cornelius Duplicius Schepper. Wien, 14. *Juni* 1533 132
Schreiben Sultan Suleiman's I. an Kaiser Karl V. Konstantinopel, 4. *Juli* 1533 135
Schreiben des Grosswefirs Ibrahim an Denselben. Konstantinopel, 4. *Juli* 1533 136
Schreiben Sultan Suleiman's I. an König Ferdinand I. Konstantinopel, 4. *Juli* 1533 138
Schreiben des Grosswefirs Ibrahim an Denselben. Konstantinopel, 4. *Juli* 1533 139
Schreiben Ludwig Gritti's, Statthalters Johanns von Zápolya in Ungern, an Denselben. Konstantinopel, 15. *Juli* 1533 140
Auszug aus einem Schreiben Kaiser Karls V. an seinen Bruder König Ferdinand I. Monzon, 15. *Juli* 1533 141
Schreiben König Ferdinands I. an seine Schwester Maria. Wien, 21. *Juli* 1533 142
Schreiben Desselben an Alexius Thurzó. Wien, 22. *Juli* 1533 . . . . . —
Schreiben Desselben an seine Schwester Maria. Wien, 26. *Juli* 1533 143
Schreiben Alexius Thurzó's an König Ferdinand I. Presburg, 4. *August* 1533 144
Schreiben König Ferdinands I. an Alexius Thurzó. Wien, 7. *August* 1533 145
Schreiben des Hieronymus von Zara und Cornelius Schepper's an Peter Kruschitsch, Hauptmann von Klis. Zara, 28. *August* 1533 146
Schreiben Derselben an König Ferdinand I. Buccari, 31. *August* 1533 147
Schreiben König Ferdinands I. an Alexius Thurzó. Wien, 15. *September* 1533 148
Schreiben Desselben an Denselben. Wien, 18. *September* 1533 149
Schreiben Desselben an Thomas Szalaházy. Wien, 18. *September* 1533 . . . . . —
Schreiben Desselben an Ladislaus More. Wien, 18. *September* 1533 150
Schreiben Desselben an seine Schwester Maria. Wien, 25. *September* 1533 151
Entwurf des an die nach Wien berufenen ungrischen Herren über den geschlossenen Frieden gehaltenen Vortrags . . . . . —
Bekanntmachung des Friedens in Krain. Wien, 1. *October* 1533 153
Schreiben König Ferdinands I. an Peter Keglewitsch, Statthalter von Dalmatien, Kroatien und Slawonien. Wien, 11. *October* 1533 154
Bekanntmachung des Friedens an den Gränzen. Wien, 11. *October* 1533 155

BRIGHAM YOUNG UNIVERSITY
3 1197 22385 2077

UNTER DER PRESSE:

GESANDTSCHAFT KÖNIG FERDINANDS I. AN SULTAN SULEIMAN I.

1534.